Cælij Secundi

CVRIONIS SCHOLA, ſiue de perfecto Grammatico, LIBRI TRES.

Eiuſdem de Liberis honeſtè & piè educandis, Libellus.

Quæ ſanè ſcripta non modò ipſis ludimagiſtris, & diſcipulis, uerumetiam parentibus & Rerumpublicarum ac ciuitatũ rectoribus, ſiue principibus cognitu cumprimis digna, utilia ac neceſſaria, æquus ac diligens lector facilè agnoſcet.

Acceſsit eiuſdem GRAMMATICA, ne quid deſideraretur, emendatior & plenior, quàm antea fuerat edita.

TERENT. EVNVCH.

Fac periculum in literis, fac in palæſtra, in muſicis, quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem ſolertem, dabo.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

C. S. CVRIO AMPLISS. ET CLARISS. uiro, Ioanni Comiti Tharnouio, Caſtellano Cracouienſi, & Polonicarum copiarum ſapientiſsimo Imperatori, S. P. D.

SCRIPSIMVS ante annos ſeptẽdecim, treis de perfecto Grammatico libros: quibus neq; prolixè, neq; indiligenter tamen, ut arbitror, perfecti Grammatici ſpeciem adumbrare, eiuſq; ſuppellectilem explicare conati ſumus. Hoc faciebamus, dum Ticini, quæ & Papia dicitur, in Inſubria, noſtras haſce humanitatĩs arteis publicè tractaremus: ad quod quidem nos quorundam magiſtrorum peruerſus docendi mos, ut in ipſo opere demonſtramus, excitabat. Hos libros, cum

iam ad umbilicum perduxiſſem: atq; ali quot uiris eruditiſsimis, in primis uerò clariſsimo legũ uati, publicoq; tum ac primario in ea Academia interpreti Andreæ Alciato, Othoniq; Lupano, qui eodem tempore Mediolani eaſdem quas nos Papiæ profitebatur artes, legendos dediſsem: hiq; maximè opus & inſtitutum probarent meum, & ad editionem hortarentur: ecce ſubitus quidam motus in ciuitate, quorundam peruerſis de religione ſtudijs in nos excitatus, noſtram & multorum quietem ociumq; perturbauit. Ceſsimus tunc nos inuidorũ & maleuolorum indigno furori, magno cum bonorum mœrore: ne in me primùm, deinde in alios etiam, qui ſe ad ſaniorem de religione ſententiam nobiſcum receperant, ſæuitiam ſuam exercendi occaſionẽ præberemus: Ionæ uatis uidelicet exemplo, qui in

*qui in mare abijci, uimq; tempeſtatis ſub-
ire ipſe maluit, quàm ut nauis tota cum
ſuis uectoribus periret. Itaq; incolumis
& ipſe Dei ſummi ope & auxilio ſerua-
tus eſt: ſicut & nos, & tūc & aliàs ſæpe,
eiuſdē fauore ac numine è maximis peri-
culis & anguſtijs erepti & cōſeruati ſu
mus. Interea tēporis prodijt Io. Sturmij,
uiri doctiſsimi, liber de literarū ludis recte
aperiendis. Illico ego, cui Sturmij nomen
iam non modò notum, uerumetiam ho-
norificum eſſet, arbitratus ſum ſyntagma
aliquod ἡρακλήδειον eſſe: pòſt autem e-
tiam facta mihi eius ab Iacobo Brocardo,
qui apud Sturmium uixerat aliquādiu,
quiq; me de perfecto Grāmatico opus cō-
ſcripſiſſe iā antè nouerat, copia, legi: atq;
ita placuit, ut noſtræ huius Scholæ ſiue
Grammatici edendi conſilium abijcere:
ac totos illos annos pòſt, inter noſtras ſche*

das deliteſcere ſinerem. Non ceſſarunt tamen amici illi noſtri, qui, ut dixi, opus ipſum uiderant, nosq; id elucubraſſe minimè ignorabãt, petere, imò flagitare, ut ipſum ederemus: cumq; quid nos remoraretur, eos non latêret, multis modis id nobis perſuadere conabantur. Afferebant enim, non eſſe eandem (etſi ambo idem ſpectauimus) Sturmij & meam tractandi rationem: præclarum, atq; utile in primis eſſe, multos eãdem rem uerſare, atq; tractare: melius à plurib. quàm ab uno, aliquos ad aliquid capeſſendum incitari: nihil tam præclarè dictũ, quin alijs quoq; ſuus relictus ſit dicendi locus: nec Theophraſtum fuiſſe ueritum, tractare locos ab Ariſtotele tractatos: nec Quintilianum, poſt M. Tullium Ciceronem, oratorem inſtituere: nec innumerabiles propè alios in eodem argumento uerſari, in

Digitized by Google

quo cum ſumma laude & gloria, alij uer ſati fuerant, dubitaſſe olim, aut hodie dubitare. in eo tantum ſcriptori elaborandum eſſe, idq; unum ſpectandum, ut priores illos in eodem genere aut uincat aliqua ratione: aut quod proximum eſt, ſaltem æquet. nam qui deteriora faciat, eũ in eruditorum numero, utpote qui ocio abutatur, & literis, habendum non eſſe. Hæ non modò rationes, uerùm etiam flagitationes tandem, ut noſtrum Grammaticũ, tam diu domi educatum, in lucem uenire permitterem, euicerunt. Itaq; eum, quantum per noſtras occupationes licuit, recognitum, cum edere ſtatuiſſem, ei ſuam Grammaticam adiũxi: quæ ſi, cũ primò edita fuit, propter quãdam ſuam dilucidam breuitatem, multorum approbationem ſenſit: nunc, cum multo correctior, plenior, & omnino po-

 litior

litior exeat, nō pauciorū ſenſurā ſperamus. Verùm enim, quoniā & antiquo & noſtro more, Schola patronū habere debet, unū aliquē ſummū, & magnæ apud ſuos autoritatis, cuius gratia & ope nitatur: idcirco te ego unum inter omnes MAGNE THARNOVI, cum tuo chariſſ. filio, delegi, cui hāc meā Scholam, eiusq; ſcholæ magiſtrū, Grāmaticum cōmendarē. In te namq; ſunt omnia, quæ nō modò ad hoc ipſum quod quærimus, uerū ad alia quoq; maiora in repub. efficiēda requiri poſſe uideantur: nobilitas, opes, uirtus, autoritas, gratia. quæ cū adſunt, nihil iam obſtare poteſt, quo minus res magnæ, & reip. maximè ſalutares efficiātur. Cui enim Comitis THARNOVII ignotus familiæ ſplēdor, & ornamēta? Quis copias & opes uirtute atq; magnis in patriā meritis partas nō admiratur? & ab his

opem

opem leuamenq́ꝫ nõ percipit? Rerum ue-rò geſtarum gloria tanta eſt, ut non epi-ſtola, ſed hiſtoriarum uoluminibus expli-cari debeat: ut etiam eſt à quibuſdam ex plicata. Quid de autoritate dicam? quæ à uirtute orta, & tempore aucta & con firmata, te inter tubas & arma Impera torem, in toga & pace conſilij principẽ fa cit: ita ut, quod difficilimũ & rariſſimũ eſt, non minor pacis quàm belli artib. & laudibus, quibus abũdas, eſſe cognoſcaris. Ex quibus omnib. tantã apud duos ſapiẽ tiſſimos Sarmatarũ reges Sigiſmũdos, pa trem & filium, omnesq́ꝫ regni ampliſſi-mi proceres, & reliquam equeſtrem no-bilitatem, collegiſti gratiam, amorem con ciliaſti: ut quemadmodum à Romanis Scipio Naſica Corculum appellatus eſt, ſic te à tuis appellari meritò, non dubitẽ. Quæ cum ita ſint, nemo me, quaſi parũ

 in de-

in deligendo meæ Scholæ patrono proſpexerim, reprehendere iure poterit. Humile eſt Scholæ & Grammatici nomen, ut uidetur: ſed res ipſa magna & honeſta, adeò ut ex ea Reip. ſalus & dignitas pendere quodam modo uideatur: cuius procurationem reges ipſos ſæpenumero ſuſcepiſſe, & patrum memoria accepimus, & noſtra ipſi uidimus. Quanquam minimè omnium tu, Tarnoui ſapientiſsime, hæc ignoras: etenim quanti honeſtam & liberalem inſtitutionem iuuentutis facias, in tuo filio Ioanne Chriſtophoro (quem honoris cauſa nomino) ſuperiore anno facilè animaduerti. Nam cum is ex Anglia ueniens, per Heluetios in Italiam contenderet, ueniſſetq́ue Baſileam, illico me ad prandium inuitauit, & humaniſsimè accepit. In quo adoleſcente tantam indolē perſpexi, tam liberalem inſtitutionem familiari

miliari illo, & ad horas aliquot uarijs de rebus producto ſermone ſenſi, ut nullo modo de parentis ipſius ſapientia, atq; in optima ſtudia uoluntate, etiamſi aliunde mihi non conſtitiſſet, potuerim dubitare. Adde comitatum eius, non modò natalium ſplendore, uerùm etiam bonarum artium cognitione præſtantem: Staniſlaum Lathalicium, Nicolaum Mielicium, & cæteros: inter quos filio tuo comitem adiunxeras, ut ætate, ſic etiam doctrina & moribus ornatiſſimum uirum, Ioannem Seculicium: qui, ut Phœnix ille Homercius Achillem, ſic is Chriſtophorum tuum efficeret, oratorem uerborũ, actoremq; rerum. Hic inquam comitatus, quantam bonæ & laudatæ inſtitutionis rationem habeas, facile declarauit. Diſceſſit igitur in Italiam tunc generoſus adoleſcens, magna ſui admiratione, magnoq;

gnoq́; deſiderio apud nos relicto: tanta in eius uultu, oratione & moribus non modo indoles, ſed etiam matura iam propemodum uirtus elucebat. Diſcedens me hortatus eſt, ut ad te, atq; ad ſe quoq; aliquid ſcriberem: me tibi iamdudum notũ eſſe, opera præſertim optimi atq; honeſtiſſimi uiri Nicolai Siennicij, propter ſororis ſuæ filium Nicolaum Urouicium, nobilẽ, modeſtum, & eruditum adoleſcentem: quem tu mihi, tuis literis ante biennium commẽdaſti, qui etiamnum apud me eſt: quod ſi facerem, me utriq; rem gratiſſimam facturum. Ego, qui iam ante, mea ſponte, animo tale aliquid agitabam: & tuam gratiam colligere officio meo aliquo. aut munere cogitabam, recepi: quod quidem hactenus præſtare non potui. Nunc igitur, ut aliqua ex parte clariſſimi filij tui uoluntati, & officio ſatisfaciam meo, haſce

haſce meas lucubrationes ad te mitto, ac tuæ tutelæ committo. Sunt autem eiuſdē argumenti ferè omnia: Schola, ſiue de perfecto Grammatico: de Liberis honeſtè & piè educandis: & ipſi de Grammatica libri: quorum omnium ſcopus eſt, ut & pectus, & mores, & lingua puerorum atq; adoleſcentium informetur, & excolatur. Hæc omnia, atq; unà me quoq; ipſum, benigno accipias animo, ut à me, tui tuorumq; ſtudioſiſſimo donantur, te per iſtā tuam humanitatem ſingularē oro atq; obſecro. Quod ſi tu, optime Tarnoui, feceris (quod tamen non dubito) iam nihil me, nihil hac mea Schola, nihil hoc noſtro Grammatico beatius. Gaudebo ipſe, florebit Schola, Grammaticus per te ſuam dignitatem obtinebit. Vale: Baſileæ, Anno Chriſti M.D.LV.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI.

1 Quãtæ difficultatis ſit, bonũ Grãmaticũ inſti
tuere. Quid Grãmaticus, deq; eius autoritate:
ac de Grãmaticæ neceſsitate, & utilitate. Pag. 5
2 Non poſſe perfectum Grammaticum eſſe,
niſi uirum bonum. 11
3 De Grammatici cultu, geſtu, aliiſq; id ge-
nus nonnullis: tum de luxu, uoluptateq; fugiẽ-
da, & honeſtis laboribus amplectendis 17
4 Perfecto Grãmatico artiũ eſſe neceſſariam
cognitionẽ: ac primò generalis earũ diuiſio. 22
5 De tribus Logicis artibus. 24
6 De Mathematicis diſciplinis generatim. 29
7 De Arithmetica & Geometria. 31
8 De Muſica. 33
9 De Aſtronomia. 37
10 Phyſiologiã & Moralem diſciplinam eſſe
Grammatico neceſſariam. 44
11 De Mechanicis artibus. 47 (ceſſariã 50.
12 De Hiſtoriæ cognitione Grammatico ne-
13 De Poetica, & an ſit Grãmatico neceſſaria. 51
14 De Fabulis cognoſcendis. 53
15 De Græca & Ebraica lingua. 54
16 Quò ſint ſuperiora omnia referenda: & de
ſtudio ſacrarum literarum. 55 (tione. 64
17 De Grammatici bibliotheca, eiuſq; diſpoſi

LIBRI SECVNDI.

1 Quod ſit incipiẽdi ſcholã moderari tẽpus. 82
2 Quid agendum ſit Reip. in deligendo præ
ceptore optimo, delectoq; retinendo. 85

3 An

3 An pꝛinus præceptore optimo ſit utendū. 91
4 Quæ in ſuſcipienda docendi prouincia Grammatico obſeruanda ſint. 95
5 An præceptori ſit ſæpius mutandus locus, & ob quas cauſas. 100
6 Qui locus ſit aptus ſcholę, & quales ædes. 101
7 Priuatim'ne, an publicè erudiri puerū pręſtet: tū an pręceptori cōducat in aliena familia priuatim docere: & inibi, numerus diſcipulorū. 104
8 De conuictorib. quot eſſe debeant, & qua ratione ſint educandi. 106
9 Luſus honeſtos non prohiberi. 113
10 Scholam in certos ſiue ordines, ſiue claſſes eſſe diſponendam. 115
11 De prima claſſe, & quando primùm docendus puer elementa prima. 118
12 Quonā pacto prima elemēta tradēda ſint. 122
13 De rectè prompteq́ʒ legendo. 128
14 Bene ac ueclociter ſcribendi ſtudium nō eſſe contemnendum. 130
15 De ſecunda claſſe, quid poſt prima elementa, & quomodo tradendum. 140
16 An cædendi ſint diſcipuli: & quomodo, & qui, & quas ob cauſas. 143
17 De cenſoribus, & cenſoria nota, ſeu tabella morū & latini ſermonis in ſcholis ſeruāda. 149
18 De officijs pręceptoris ac diſcipulorum quędam. 151
19 Pręceptorem debere pietatē, & Chriſtianę religionis ſummam, diſcipulos docere. 158
20 Tertia claſsis: & de delectu ingeniorum, &

quibus

Digitized by Google

quibus ſignis dignoſcantur profecturi: tum, ut quiſque tractandus ſit. 162

LIBRI TERTII.

1 Artem poſt Grammatices rudimenta abſol uendam eſſe,& quomodo id fieri oporteat: tũ de quarta claſſe. 169
2 De Græcè docẽdo,& Latinè: an Græcè prius, tum de tribus reliquis claſsibus & annis. 173
3 Quando primùm autores rerum explicandi,& qui & quot ſingulis diebus. 175
4 Lectio,item enarratio autorum,qualis eſſe debeat:& quomodo à diſcipulis exigenda. 181
5 De dictatis & argumentis componẽdi. 190
6 De emendandis diſcipulorum ſcriptis. 193
7 De percunctandi ſeu tentandi ratione. 198
8 De conſuetudine ſeptimo quoque die repetendi,quicquid per totos ſex dies diſcipuli didicerunt,& inibi de ediſcendo. 200
9 De ſcholaſticis diſputationibus, ſeu collatione ſtudiorum. 205
10 Quæ ſint perfecti in Grammatica pueri ſigna:& inibi,quamdiu in Grammatica detinendus. 210
11 Dialecticam atque Rhetoricam, poſt Grammaticen eſſe percipiendas, & an Grammatici muneris ſit eas docere, & quatenus: ac inter hæc digreſsio,in eloquentiæ laudes. 214

Errata inter imprimendum admiſſa,in fine operis inuenies emendata.

Digitized by Google

CAELII SECVNDI CVRIONIS, SCHOLAE, SIVE DE perfecto Grammatico liber primus.

POST factam à Barbaris in Græciã atq; in Italiam eruptionem illam, quæ non imperium modò, uerùm imperij quoq; decus, ac robur omne, literas bonaſq; artes opprebit, peſſumdedit, extinxit: in tantam ſubitò ignorationem uentum eſt, ut ablata ex oculis artiũ pulcherrimarũ luce, neq; ſcholaſticæ diſciplinæ, neque humanitatis ratio iam ulla teneretur: nobis nõ in libris doctiſsimorum, qui priſcis ſeculis ſoli humanitatis magiſtri (ſic enim libet ueros Grammaticos appellare) habiti ſunt, ipſam quærentibus, ſed uel ab indoctis, uel infantibus, & ineptis quibuſdam hominibus petentibus. Ita recta illa atque antiqua Græcorum & Romanorum docendi diſcendiq; ratio prorſus eſt immutata. certa, plana, breuiſq; doctrina puerilis ueteribus erat: nobis incerta, obſcura, prolixa. Illi omnibus modis ſuorum alebant ingenia, memoriam confirmabant, alacritatem alliciebant: nos inepta uarietate, difficultate, diuturnitate eneruamus, labefactamus, perdimus.

Digitized by Google

dimus. Quæ diſciplinæ ueteris perturbatio, quid fecerit, quid malorum attulerit, res ipſa loquitur. Nam uix iam morum, aut literarum, aut ullius bonæ rei ueſtigiũ umbram'ue aliquam in literatore, ludis & Academijs noſtris reliquam uidemus. Sic cum diſcipulis doctores, quondam in clariſſima liberalium diſciplinarum luce uerſatos, caligo & tenebræ comprehenderunt. Quos tametſi pleriq; neq; inſulſi, neq; indocti homines ab inſtituto prauaq; conſuetudine reuocare conniterentur, dum alius de corrigendis ſtudijs ſermonem haberet: alius diſputandi uſum reuocaret: alius linguam Latinã, alius elegantiam repararet: hortari, orare, monere, caſtigare, & iam liberius accuſare alij non deſiſterent: nihilo tamen minus illi per ſua deuia ire, ſurda (quod aiunt) aure pergebant, hodieq; pergunt. Quod ideo euenire puto, quia procul quidem ſtantes, illis iter quoddam ſublata manu monſtrabant: nullus tamẽ ſe comitem profiteri, ipſamq; uiam hominum ignauia, temporumq; iniuria obſoletam, ac ſentibus obſitam, uel gratis ingredi uoluit. Idcirco ipſe publicam calamitatem miſeratus, officiumq; hominis ratus, hominem iuuare: de reuocanda ueteri diſciplina, docendiq; ratione ac Methodo cogitare cœpi: ſimulq; inueſtigare, nunquid ipſa uia ſic dirigi poſſet, aut etiam complanari, atque à uepribus ſentibusq; purgari, ut ne quis in

poſterum

poſterum aberraret, aut ignoratione aliqua in deſuetudinem abiret. Itaq; laboraui diu multũq; cùm in aliorum ueterum autorum, tum maximè in M. Tullij ac Fabij lectione, dũ aliena potius quàm mea (quando tam nobis iniqui ſumus, ut nihil melius inueniri poſſe credamus: cum longè aliter ſit. poſt enim tam longam rerum obſeruationem melius omnino iudicare, modò in id animum intenderemus, de rebus omnibus, quàm illi, poſſumus) adferre ſtudeo, quo maiorem apud noſtros homines fidem & autoritatem, quæ tradimus, inueniant. Neq; tamen ſi quid bonæ rei repertum dictum'ue à recentioribus eſt, idipſum ſumere grauati ſumus. Nam

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſsima uita:

Vt interim lepidum ueteris poetæ carmen concinam. Succeſsit tandem, et quod optabamus Dei optimi Max. ope ſumus aliqua ex parte conſecuti. Neq; enim ſum neſcius, opus de ſcholaſtica diſciplina circũferri, quod Seuerino Boetho adſcribunt: etiamſi neq; φράσιν neq; acumen illius uiri redolet: quin potius ab indocto quopiam conſcriptum, ac Boethi nomine ob autoritatem ſcilicet, põdusq; libro comparandum, editum crediderim. Vtcunq; tamen res habeat, quãtum ab hoc noſtro differat, cognoſcet, qui utrumq; contulerit. Tribus igitur li-

bris totum ferè hoc negotium abſoluimus. Liber primus, ea quæ ſunt ante officium ſcholæ præceptori neceſſaria: Secundus, ipſius ſcholæ primordia, et tanquam incunabula continebit. In tertio autem ea indicabimus, quæ ad abſolutam pucrilis doctrinæ rationem requiri uideãtur. Opus uerò ipſum Scholam, ſiue de Perfecto Grammatico inſcripſimus: nõ quòd ea nos quæ perfectum reddere poßint præcipiamus (neq; enim præcepta ipſa hic loquendi latinè proponimus, quæ pucrilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio literarum alit: conſuetudoq; ſermonis quotidiani ac domeſtici libri confirmant, & lectio ueterum oratorum & poetarũ) ſed quòd & uiam ipſam expeditam oſtendimus, et tanquam ſcholam aperimus: & comites nos non ad tempus, uerùm in perpetuum (ſi tantum de rebus humanis ſperare fas eſt) pollicemur: quod quidem non uſq; adeò abſurdum uideri debet. Nam etſi cætera omnia tempori cedunt: ſola tamen literarum monimenta, temporis diuturnitate ſua quidem natura reuireſcunt. Qua in re ſatis ſcio me non poſſe uitiligatores effugere, quemadmodum nec qui ante nos fuere uiri præſtantißimi potuerunt.

Calumniabitur aliquis, quædã diffuſius explicata: Sed huic pro me reſpondebunt, quibus breuitas obſcuritatem parit: dicente Horatio, Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. Alius, preßius nos alia coarctaſſe

dicet.

dicet. Reclamabunt Rhetores, *qui quo breuius aliquid dicitur, eo dilucidius aſſerunt.* Deeſſe nonnulla Lynceus *ille clamitabit: occurret* Maro *& dicet,* Non *omnia poſſumus omnes.* Qui *tamen hæc qualiacunq; ſeruauerit, nequaquam inter mediocreis (opinor) habebitur: ſed tãquam* Phœnix *ille* Homericus, *imò numẽ aliquod, in ſui cũctos rapiet mortales admirationem.* Deniq; *erunt haud dubiè, quibus his noſtris minimè ſit opus: illis non magis ſcripta ſunt, quàm bonis iuſtisq; uiris publicæ leges, cũ non legum metu, ſed ſuapte natura, & uirtutis amore (ut ille ait) ad bona ferantur.* Iuuabit *tamen illos ipſos non mediocriter, cum et alios eadem, quæ ipſi ſentiunt, aſſerentes acceperint. ſic enim natura comparatum eſt, ut ſuæ quiſq; ſententiæ aſtipulatorem habere gaudeat.* Verùm *enim, utcunq; alij de nobis noſtrisq; uigilijs ſenſerint, abundè relatã nobis gratiam exiſtimabimus, ſi illorum cõſequi gratiam ſtudiumq; poterimus, quibus ipſa profuerint: quorumq; mentem ad altiora paulò, quàm erant ituri, incitauerint.* Quod *ſi ne hoc quidem obtinuerimus,* Aſpendij *citharœdi ſaltem more nobis* Muſisq; *canemus.* Delectabit *enim ſe conſcientia, gaudebitq; mens in recti luce uerſari.*

QVANTAE DIFFICVLTATIS SIT, bonum Grammaticum inſtituere. Quid Grammaticus, deque eius autoritate, ac de Grammaticæ neceſsitate, & utilitate.

Digitized by Google

IN primis igitur qui Grammatici nomẽ affectat, eamq́; ſibi cupit imponi perſonã, illud mecũ cogitet, Grammaticum perfectum inſtitui rem eſſe arduam: etiam cum ei formando nihil defuiſſe uidebitur, alia non minora ſupereſſe. Neq; enim eſt aliud Grammaticus græcè, quam latinè literatus. Egregium uerò nomen: quaſi penes quem ſolum, omnium cùm literarum, tum diſciplinarum ſummũ ius, & poteſtas ſit. Noſtra tamen ætas parum perita ueteris moris, nimis breui gyro Grammaticum ſepſit. At apud antiquos olim, tantum autoritatis hic ordo habuit, ut cenſores eſſent, & iudices ſcriptorum omnium ſoli Grammatici, quos ob id etiã Criticos uocabant: ſic ut nõ uerſus modò (ita enim Quintilianus ait) cenſoria quadam uirgula notare, & libros qui falſò uiderentur inſcripti, tãquam ſubditicios ſubmouere familia poſſent: ſed autores etiam quos uellent, aut in ordinẽ redigere, aut omnino eximere numero. Quod ſi tanti apud Romanos Sibyllinorum cuſtodes librorum illi decem uiri, qui tamen nihil niſi unius populi Romani fata continerent, habiti ſunt: quanti faciendi ſunt Grãmatici? qui non Sibyllæ modò oraculorum, uerumetiam omnis ſeculi æuiq́; literarum ac linguarum cuſtodes, cenſores, arbitri & interpretes ſunt. Iurisperitus leges, Theologus Theologos, Medicus Medicos interpretatur: adeò ut Horatius dixerit,

Quod

—Quod medicorum eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Verùm Grāmaticus (modò is ſit quem quærimus) Poetas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, Iuriſcō ſultos, Medicos, Theologos, & quicquid uſpiam ſcriptorum eſt, excutit, cenſet, narrat. Quomodo autem id faciet, niſi erit rerum magnarum atq; artium ſcientiàm conſecutus? Cicero oratorem ſuum, Galenus medicū, omnes diſciplinas in promptu habere uult. Gulielmus Budæus, nullius ſinit expertem facultatis Iuriſperitum: & in noſtri ſeculi leguleos inuehitur uehementiſsimè, quòd ad legum ſtudia illotis, ut dicitur, pedibus accedunt. Quid? an non architectus ipſe Vitruuius, eius artis tyrunculum, non ſolum per liberales arteis, uerùm quoque per ipſa Philoſophiæ intima perducit? Quod & Pomponius Gauricus ſecutus, neq; pictorem, neq; fictorem, quem ille ſtatuarium uocat, admittit, artium & diſciplinarum imperitum. & nos Grammaticum, & quidem ad docendum idoneum exiſtimabimus, qui nihil ſupra literarum elementa didicerit: & omnium rerum ignarum, autores rerum interpretari poſſe? Voco autem literarum elementa, puram nudamq; Grammaticam. At quid de eo dices, qui nec ipſa elemēta, ne prima quidem nouit? hoc eſt, qui penitus ἀναλφάβητος eſt, docendi tamen munus audet inuadere? quales hodie aliquot

uidere poſſumus: quos ego non Grammaticos, ſed Grammatiſtas: non literatos, ſed uel cum Politiano literatores, uel cum Lanciloto literædos, hoc eſt ſciolos & nugiuendos uerius appellare ſoleo. Cõtrà ueros Grammaticos, uates, teſte ipſo Cicerone, appellari poſſe contendo. ſic enim de Diuinatione primo: Grammatici, inquit, poetarum interpretes, proximè ad eorum quos interpretantur diuinationem uidentur accedere. Neq; patrũ, neq; noſtra memoria defuere, qui etiam ſe ornari Grammatici appellatione arbitrati ſunt: ac inter cæteros Ariſtophanes, non autor ille ueteris comœdiæ, ſed Grammaticus, natione Byzantius, & Zenodotus, & Ariſtarchus, qui cognominatus eſt Cenſor autorũ. Omitto Laſcares, Gazas, Chryſoloras, atq; alios Græcos, uiros in omni genere præſtantes, qui nos primi poſt imperij ruinam, græcè docuerunt. Apud Latinos Varro, Nigidius Figulus, Nonius Marcellus, Sext. Pompeius, M. Fronto, Verrius Flaccus, Palæmon, Cornutus, Aſper, Seruius, Donatus, Probus. Item ſuperioribus annis, Leonardus Aretinus: eiusq; diſcipulus Laurẽtius ille Valla patricius Romanus, q Ariſtarchus alter dici poteſt. Angelus itẽ Politianus, et Frãciſcus Philelphus, ac nuper Aldus Manutius: nec non Eraſmus Roterodamus ille, qui non Germaniam modò, ſed Europam omnem ad elegantium literarum cultum tam præclaris editis

in omni

Digitized by Google

in omni genere monumentis, & inuitauit, & excitauit. Et quid Gulielmus Budæus in commentarijs Linguæ græcæ fuit, niſi Grammaticus? Taceo Thomam Linacrum Britannum, medicum celeberrimũ: taceo Philippum Melanthonem, tot tantisq; doctrinarũ ornamentis inſtructum: omitto Ludouicũ Viuem, & Gilbertum Cognatum Nozerenum, atque alios inſignes uiros, qui omnes de Grammatica aliquid ſcribere atq; docere ſibi laudi duxerũt. Quid? non'ne ex hac profeßiõe multi ad ſummos honores opesq; euecti ſunt? Pius ſanè (ut et Senecam et Auſonium omittam) cui antea Aeneæ Syluio erat nomen, & Adrianus Sextus, ambo Pontifices Maximi: & Nicolaus Perottus pontifex Sypontinus, & Adrianus Cardinalis, hanc artem exornauerũt. Apud maiores quidem noſtros, & eccleſiæ Chriſtianæ patres, ludimagiſtri, tum Grammatici tum Rhetores, epiſcoporum doctorumq; erant ſeminarium. nam ex hoc ludo, ad magnarum ciuitatum miniſterium frequentes uocabantur. Argumento ſunt, Origenes ille magnus (ut Eccleſiaſticæ teſtãtur hiſtoriæ) & Heraclas, & Pantænus, & Cyprianus, & qui etiam de Grammatica ſcripſit, Auguſtinus, alijq; multi: quorũ eſt præter cæteros nobilitata ſanctitas, cum ſumma eruditione coniuncta. At nihil ſcilicet præſtiterunt Grammatici in omni diſciplinarum genere. Ioannes Philoponus eruditos ac celebratos,

lebratos, ſcripſit in Ariſtotelem commentarios. huius nomen nec ſcholæ ignorant: Ioannes Grammaticus appellatur. Herodianus, Grammaticos aliquot enumerat, qui accuratos doctosq; in Hippocratem medicorũ principem cõmentarios conſcripſerunt: Xenocritũ Coum, Ariſtotelem et Ariſteam Rhodios, Didymum et Antigonum Alexandrinos. Leonardus quidem Aretinus, cuius paulo antè mentionem fecimus, Ariſtotelis opera quædam illuſtrauit. Quid, an non & Ariſtoteles ipſe, tantus philoſophus, Alexandrum Magnum, etſi non ſtatim, paulo pòſt tamen, literas edocuit? ac de poetica diuinum planè opus reliquit, in quo non minus Grammaticus, quàm uel poeta uel philoſophus mibi uidetur. Deniq; non puduit Dionyſiũ Syracuſanum regno exactum, ludũ literarium aperire: quo facto non tam ipſe Grammatici prouinciam nobilitauit, quàm eam rege dignam eſſe oſtendit. Quãti autem maiores noſtri unum Grammaticum facerẽt, Quintus Catulus argumẽto eſt, qui (Cornelio Nepote referente) Luctatium Grammaticum ducentis millibus nummûm redemit. An tanti Plato ipſe, quem philoſophorum deum Tullius nominat, redemptus eſt? quem Anicerus quidam ſeſtertijs octo redemit. Hinc igitur oſtenditur, quanta ſit huius ordinis præſtantia, quantaq; eius facultatis utilitas atq; neceßitas. Quo minus ſunt ferendi (ut

uerbis

uerbis Quintiliani utar) qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cauillantur: quæ niſi doctrinis cæteris fundamenta fideliter iecerit, quicquid ſuperſtruxeris corruet: neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis comes ſecretorum, & quæ uel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quàm oſtentationis, plus in receſſu quàm fronte promittit. Boni tamen Grammatici tam rari ſunt, quàm boni Oratores, ac Poetæ. Sed nos bonum uolumus, non ſolum Grammaticum, ſed etiam uirum. Nam bonus ut ſit Grammaticus, eius artis peritia fiet: ut autem bonus uir, præſtabit innocentia.

NON POSSE PERFECTVM Grammaticum eſſe, niſi uirum bonum.

Non enim arbitror quẽquã ita ſtupidi ingenij eſſe, ut Oratorem perfectũ non niſi uirũ bonum eſſe poſſe exiſtimet: perfectum uerò Grãmaticum, etiam malum uirum eſſe poſſe autumet. Nam & qui Orator eſt, Grammaticus fuit: & niſi eſſet adhuc Grammaticus, hoc eſt eius artis peritus, Orator non eſſet: quod Cicero de Oratore confirmat. Neq; enim, inquit, conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat: nec ſperare, qui latinè non poßit, hũc ornatè eſſe dicturum. Quocirca non arbitror mihi uitio uerti debere, ſi Quintiliani uerba, quibus hæc & pleraq; alia de ſuo Oratore contendit, ad meum Grammaticum tranſtulero. Nam nec Quintilianus,

tilianus, nec et Cicero ipſe, nec alij eruditi uiri, ſunt ueriti, quantum quoq; modo uidebatur, ex aliorum fontibus haurire. Longius tendit hoc iudicium meum. Neq; enim tantum id dico, ſolũ Grammaticum debere uirum bonum eſſe, quaſi non & eſſe bonos cæteros oporteat. Quippe bonum probumq; eſſe, ad omnes pertinet: perfectum uerò Grammaticũ, ad paucos. ſed neq; illud tantum uolo, eum qui ſit Grammaticus, uirum bonum eſſe oportere: ſed ne futurum quidem Grammaticum, niſi uirum bonũ. Etenim ipſa natura potius ac maius eſt, non modò prius, utiq; uir bonus. ſi enim uis illa ſcientiæ, linguæq; malitiam inſtruxerit, quid publicis priuatisq; rebus pernicioſius? Ac nos ipſi, qui pro uirili parte conferre aliquid ad facultatem docendi conati ſumus, peßimè mereamur de rebus humanis, ſi latroni comparemus hæc arma, non militi, aut duci. Quid de nobis loquor? Rerum ipſa natura in eo quod præcipuè indulſiſſe homini, quoq; nos à cæteris animantibus ſeparaſſe uidetur, non parens, ſed nouerca fuerit, ſi intelligẽdi diſſerendiq; facultatem, ſociam ſcelerum, aduerſam innocentiæ, hoſtem ueritatis inuenit. Mutos ſanè naſci, & egere omni diſciplinæ ratione ſatius fuiſſet, quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Nam certè neq; intelligentiam conceſſeris ei, qui propoſita honeſtorum ac turpium uia, peiorem ſe-

qui-

qui malit, illudq́; cum Medea decantet, Video meliora, proboq́; Deteriora ſequor. neq; prudentiam ei, qui in grauiſsimas frequenter legum, ſemper uerò malæ conſcientiæ pœnas à ſemetipſo, improuiſo rerum exitu, inducatur. Quod ſi neminem improbum eſſe niſi ſtultum, non modo à ſapientibus dicitur, ſed uulgò ſemper quoq; eſt creditum: certè non fiet unquam ſtultus Grammaticus. Adde quod ne ſtudio quidem tot præſtantiſsimarum artium uacare mens, niſi uitijs libera, poteſt. Primùm, quòd in eodem pectore nulla eſt honeſtorum turpiumq; cõſortio: et cogitare optima ſimul et deterrima (quẽadmodum Cicero pro Cælio docet) non magis eſt unius animi, quàm eiuſdem hominis, bonum eſſe ac malum. Scitum eſt illud, quod Ebræus ille ſapiens initio ſuorum de ſapientia præceptorum dixit: In malitioſum animum non intrat ſapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Deinde quòd mentem ſapientiæ cupidam, uacare omnibus alijs, etiam culpa carentibus, curis oportet: ita demum enim libera ac tota, nulla diſtringente re, aut aliò abducente, ſpectabit in id ſolũ quod quærit. Quod ſi corporum nimia cura, et ſolicitior rei familiaris diligentia, & uenandi uoluptas, & dati ſpectaculis dies, multum ſtudijs auferant (huic enim rei perit tempus, quodcunq; alteri datur) quid putamus facturas, cupiditatem, libidinem, iracundiam? quarum

rum impotentiſsimæ cogitationes ſomnos etiam ipſos, & illa per quietem uiſa, perturbant. Nihil eſt enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam uarijs affectib. conciſum atq; laceratum, quàm mala mens. Nam & cum inſidiatur ſceleſta ſpe, curis, laboribus, diſtringitur: & cum iam ſceleris compos fuerit, ſolicitudine, pœnarumq; omnium expectatione torquetur. ut iam experiatur uerißimum eſſe, quòd Cicero de furijs elocutus eſt: Nolite, inquit, putare, quemadmodũ in fabulis ſæpenumero uidemus, eos qui aliqua impiè ſceleratéq; commiſerunt, àgitari & perterreri tædis ardentibus. Sua quemq; fraus, & ſuus terror maximè uexat: ſuum ſcelus amentiáq; exagitat: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæq; animi terrent. Hæ ſunt impijs aßiduæ, domeſticæq; furiæ, quæ dies noctesq; pœnas à ſceleratißimis repetant. Quis inter hæc literis aut ulli bonæ arti locus? non herclè magis, quàm frugibus in terra ſentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos ſtudiorum labores neceſſaria frugalitas? Quid ex libidine ac luxuria ſpei? Non præcipuè acuit ad cupiditatem literarum, amor laudis? Num quæſo malis laudem curæ eſſe putamus? Vt enim quidam morbo aliquo & ſenſus ſtupore, ſuauitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, auari, facinoroſi, ueræ laudis guſtum non habent.

habent. Iam uerò, quî fieri poteſt, ut bene doceat, qui idem nō ſit uir bonus? Principiò enim non rectè, non fideliter fungetur officio ſuo in docendo, quod æqui iniqui'ue nullum diſcrimen habeat. Deinde mores non dabit, qui ipſe moribus careat: & ut de moribus fari diſertè poſſit, uita certè orationem deſtruet: uitamq́; magis quàm orationem diſcipuli ſequentur. Deniq; ut maximā partem quæſtionis eximam, demus id quod nullo modo fieri poteſt, idem ingenij, ſtudij, doctrinæ peſſimo atq; optimo uiro: uter melior dicetur Grammaticus? nimirum, qui homo quoq; melior. Non igitur unquā & malus idem homo, & perfectus Grammaticus: non enim perfectum quicquam dici poteſt, quo melius eſt aliud. Sed ne more Socratico nobis ipſi reſpōſum finxiſſe uideamur, eſt'ne aliquis adeò contra ueritatem obfirmatus, ut audeat dicere, eodem ingenio, ſtudio, doctrina præditum, nihilo deteriorem futurum Grammaticum, malum uirum, quàm bonum? At ſaltem illud non negabit, bonum, maiorem autoritatem habiturum in his quæ dixerit, fecerit, docueritq́;: malum uerò, etiam in his quæ uera dicet, fidem non inuenturum. Vita enim eius, ueris iuxtà ac falſis fidem eleuabit. Omnino igitur uirum bonum, Grammaticum præceptorem eſſe oportet. Eſt autor uir bonus, qui boni ideam ſeu formam, hoc eſt, perfectam honeſti notitiam tenet;

quam

quam in omnibus officijs in conſilium adhibet, ac ſequitur. Boni autem ſpecies & forma eſt ipſa iuſtitia, quæ duobus primarijs capitibus continetur, in Deum pietate, & in homines charitate: nihilq́; tota uita agere, quod uel Dei ſummi legem, uel hominis ullius lædat ſocietatem. Quocirca non Grãmatices modò, magnarumq́; artium à noſtro illo eximiã facultatem, ſed omnes animi morumq́; uirtutes exigimus: ſapientiam, iuſtititiam, pietatem, fortitudinem, conſtantiam, fidem, caſtimoniam, modeſtiam, & huiuſmodi alia: ſine quibus nihil ars, nihil ſtudium, nihil profectus ipſe profuerit. Sit, quantum humana infirmitas patitur, ab omni non ſolum crimine, quod Paulus monet, uerùm etiam criminis ſuſpicione alienus: id quod quidem facilè fiet, ſi benignum quidem ſe cunctis præbeat, bonis autem duntaxat familiariter utatur. Talem ferè te cuncti putabunt, quales fuerint ij quibus te familiariter adiunxeris. Illud uerò nunquam à mente excidat, ſe Chriſto initiatum eſſe, à quo tanto maiora ac perfectiora exigũtur, quanto hæc noſtra omnes excellit omnium temporum religiones: quantoq́; maioribus eſt à Deo opt. max. per Chriſtum, præſtantioribusq́; donis cumulata: adde quod cum ipſo Domino ac Deo noſtro appellationem Grammaticus ſortitus eſt. Magiſter enim appellatur, paterq́; eorum quos ſuſcipit erudiendos. atqui unus

eſt

Digitized by Google

eſt Magiſter, unusq́; in cœlis pater noſter. Sed quẽadmodum ab eo omnis cognatio (autore Paulo) in cœlis & in terra denominatur: ita ab eodem omnis poteſtas, eodẽ Paulo docente, omnisq́; publica functio eſt. Quare ſcrupuloſa etiam cura uidendum eſt, ne diuinæ appellationes per eum malè audiant: uerùm ſummo potius honore, laude, gloria apud omnes qui ubiq; ſunt afficiantur, quo nihil mentientes precari poßimus (quod ille iubet) Sanctè colatur nomen tuum.

DE GRAMMATICI CVLTV, GEſtu, alijsque id genus nonnullis: tum de luxu, uolũptateque fugienda, & honeſtis laborib. amplectendis.

CVltus uerò ac ueſtitus, elegãs, nõ ſplendidus eſſe debet. Eſt autem elegantis quidem, magnificũ, quemadmodum Iſocrates ait: ſplẽdidi uerò, eſſe profuſum. Nã & toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura, quàm negligentia, ſunt reprehendenda. Etenim (ut Helena Ouidiana dicit) Fine coli modico, forma uirilis amat. Verùm quoniam non ſemper eandem incolimus regionem, neq; cum iiſdem degimus, de ratione cultus nihil expeditius præcipi poteſt, quàm ut quiſq;, pro fortuna, pro dignitate, natione, tempore, cultui ſeſe accommodet: ac quemadmodum dici ſolet, foro ac ſcenæ ſuæ pareat. Si quid uerò definire licet, Grammatico

meo togam ſuaſerim paululum infra genua, aut ad media crura demiſſam. Nã *ad talos uſq;, aut etiam infrà, muliebre ſemper fuit: ſupra uerò genua, cẽturionum.* Quod *ſi me quoq; de colore conſulat, pullo (de toga potiſsimùm, & pileo loquor) ueſtietur: tametſi uiolaceus, & id genus nigricantes colores, minimè improbẽtur.* Annulo *quoq; aureo cũ ſigno, ut antiqui moris eſt, ei non interdicimus.* Colorum *aũt uarietates, diſſectiones ueſtiũ, criſtatos pileos, fœminis, ſanniõibus, militibusq; relinquet.* Inceſſus *neq; ſegnis eſto, ne animum diſſolutũ declaret: nec rurſus uehemens, ne conſternatos impetus animi ſignificet.* Et *qa nõ temerè dictũ eſt à ſapientib. priſcis, animi ſedem eſſe in oculis: ſint illi placidi, compoſiti, ac citra artẽ demiſsi, ijdẽq; animi ſedati, caſtiq; habitũ præſeferẽtis.* Vultus *quoq; non toruus, ſed leniter ſeuerus, et grauis.* Vox *ſine cõtẽtione ſit, nec languẽs, nec canora, ſed mediocritate tẽperata: ut nec exilior fallat aures, nec cõtentior odioſa radat offenſione.* Neq; *in riſum procliuior eſſe uelis: neq; prorſus* ἀγέλαστος, *atq; ab omni hilaritate abhorrens.* Illud *enim ſtultitiæ eſt, hoc ſtuporis, et cuiuſdam feritatis.* Atq; *in primis quidem magno illud ſtudio cõparandũ eſt, ſcitè ut ſermocinari poſſimus: ut nec intẽpeſtiuè percũctemur, nec elatè odioſè ue reſpõdeamus: ut diſſerẽti nõ obloquamur, nec interpellare geſtiamus abſurda oſtẽtatione: ſed*

uiciſsitudinem teneamus, et loquendi et auſcultādi. Expendendū enim prius q̃d dicturus ſis: atq; ita tādem edendū et ꝓferendū. At uerò in congreſsib. comiter adpellare oportet, atq; in conſuetudine ſuauē ſe præbere: nō etiā riſum ſcurrilib. dictis aucupari. adhortationū uerò benignitate, utiliūq; rerū comi allocutione grauitatis ac dignitatis opinio colligenda eſt. Et quādo natura modicis cōtēta eſt, illud inter epulas cauere conuenit, ne belluonū ſpeciē præbeamus: ſed frugalitatē et cōſtantiā ſemper retineamus, atq; in percipiēdis neceſſarijs honeſtisq; uoluptatib. æquabilē cōtinentiā. In ſumma, totius corporis geſtus, et oratio ipſa (quādo hæc quoq; ſpeculū animi, à Socrate, qui, Loquere, inquit, ut te uideā hoſpes, eſſe perhibetur) decora moderatiōe atq; harmonia quadā, cū uita laudabili conſentiāt. Cōuiuia quoq; illa intēpeſtiua, cōpotationesq;, quæ pleriſq; iā nō modò Grāmaticis, uerùm etiā philoſophis, in uſum abiere: itēq; alea et teſſeræ, et chartarū, quas uocāt, ludus, à Grāmatico meo ꝓcul abſint. Et quantū alij reb. huiuſmodi tribuūt, quātūq; ſpectaculis, quantū ocioſis deniq; ſermonib. et ambulationib. ne dicā ſomno et conuiuiorū mora, conterūt, tantū hic meus ad honeſtas artes recolēdas cōſumpſerit: lōgè plus delectationis ac fructus percepturus, q̃ ex illis inconditis uoluptatibus. Dedit enim hoc prouidentia hominib. ut magis honeſta iuuarēt. Nā qui ſub

ſignis noſtris merêre ſtudet, in primis amplecti uigilias ac labores debet: fugere luxum, delicias, & quicquid effœminare ſolet animum. Quod *alijs diluculum, id nox intempeſta ſit ei, qui ſeſe ſapientiæ ſtudijs mancipauerit.* Tunc *enim præcipuè otiũ largitur nocturnũ cõticiniũ, cũ neq; oculi aſpectus importunos, neq; aures acroamata ludicra & mimica intrò ad animum tranſmittunt.* Cui *uigiliæ nõ ſunt auditæ* Demoſthenis*? qui aiebat, ſe dolere, ſi quãdo antelucana uictus eſſet opificum induſtria.* Spes *fructuum agricolis in labore tota eſt, & fructus literarum ignauia quiſquam ſperare audeat?*

Quiſquis enim duros caſus uirtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemq; decusq; parabit.
At qui deſidiam, luxumq; ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis, inopsq; ſimul, miſerabile tranſiget æuum.

Alexander tot uigilias, tot labores pertulit, quò neminem in orbe relinqueret, qui non ſuo ſubeſſet imperio: et nos nihil magnum tentabimus? nimirũ (ut Hercules *apud* Lucianum *obijcit* Aeſculapio *)* ἀνδρῶδες οὐδὲν ἐπιδεδειγμένοι? Neq; *id uſq; adeò difficile eſt: incœpto tantum eſt opus.* Radices *quidem literarũ, uel* Iſocratis *teſtimonio, amaræ ſunt, ſed fructus iucũdiſſimi.* Initio *magni proponũtur labores, ſed qui honeſtiſſimũ ſudantib. præmiũ olim reponent.* Noti *ſunt* Heſiodi *uerſus, qui in ore ſemper*

per eſſe debent, τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, et qui ſequuntur. Magnum eſſe non poteſt, quod ſine puluere & ſudore contingit. Itaque in probris maximè illud in promptu eſt, Salmacida ſpolia, ſine ſanguine & ſudore. Sic enim naturæ parenti placuit, ut præſtantiſsima quæq; nõ niſi ſummis uigilijs cõſequamur. Res uerò uiliſsimæ ut laborem non requirunt, ita finem habent inglorium: & facile parta, facillimè dilabuntur. Vt auis ad uolatum, ſic homo ad laborem et uigiliam natus eſt. Eo quiſq; minus uiuit, quo plus dormit. Si quis aliter meditetur, aut inſtituat, is noſtris ſe copijs ne adiungat. In militia hac, maiorem à milite, imò à duce, poſcimus uigilantiam, quàm haberi in uulgaribus iſtis caſtris conſueuit. Nec iniuria. Illi enim exiguam duntaxat terræ partem, nempe urbem aut oram quampiam, id eſt punctum: nos orbem totũ, cœlumq; ipſum petimus. Illi ad annos aliquot rerum potituri ſunt: nos gloriam noſtram nullo neq; locorum, neq; temporum fine metimur. Sit igitur Grammaticus, uir talis, qui uerè bonus appellari poſsit. Nam id cum primis oris & morum formatorem decet: nec moribus modò perfectus, ſed etiam ſcientia, & omni humanitatis diſciplina, qualis adhuc fortaſsis nemo fuit. quod equidem de me ingenuè fateor, & ſentio: qui infra mediocres adhuc rẽpo. Sed nõ ideo minus nobis ad ſumma ſpectandum

eſt, quod & ante nos pleriq; fecerunt: qui etſi nondum ſe perfectos agnoſcebant, præcepta tamen ſapientiæ tradiderunt. Semper enim quacunq; de arte aut facultate quæritur, de abſoluta & perfecta quæri ſolet: & ego non de mea, ſed de Grammatici facultate dico. Quid enim ego aut didici, aut ſcire potui: qui ante ad docendum, quàm ad cognoſcendum ueni? quem domi, quem foris, tam uarij caſus exceperunt, grauiterq; uexarunt, ac penè confecerunt, ut ne poſſem quidem de rebus tantis ſuſpicari. At difficile eſt, quò ſpectas contendere: fateor. ſed quæ pulchra ſunt, eadem & difficilia: neq; tamen ad id peruenire natura humani ingenij prohibet. Quod ſi non contingat, propius tamē accedent qui ad ſumma nitētur, quàm qui animi quadam uel infirmitate, uel ignauia, inferiora ſpectauerint. In omnibus igitur his elaborandum eſt, ſi omni in re, quid deceat, exquirimus.

PERFECTO GRAMMATICO ARtium eſſe neceſſariam cognitionem: ac primò generalis earum diuiſio.

ARtiū et ſcientiæ omnis, atq; adeò totius philoſophiæ (quādo hæc ipſa uocabula tā latè patent) duo ſunt genera prima: quorum unū θεωρητικὸν, alterum πρακτικὸν dicitur: hoc eſt, cognitionis & actionis. ut nunc actionis nomine ποιητικὰς

etiam

etiam artes, ſiue δημιουργικὰς, complectamur. Cognitionis eſt, cuius finis eſt ſcientia, ſiue cognitio, non actio, aut operis effectio. Actionis, cuius finis eſt, non modò ſcientia, ſed etiam actio quædam, uel opus, quod ſit alterius facultatis, quàm intelligentiæ: ut uoluntatis, ut manuum. Cognitionis rurſum duo genera faciunt. Vnum, quod intelligentia & ratione perficitur: & oratione, quæ animi eſt interpres, ſi opus ſit, declaratur: nec ultra quicquam relinquit. Alterum, quod in rerum contemplatione conquieſcit, quæ res ab hominis ratione, ſiue mentis agitatione non habent ut ſint: cuiuſmodi ſunt corporeæ et incorporeæ naturæ. Prioris generis ſunt tres Logicæ artes, Grammatica, Rhetorica, Dialectica: quæ idcirco Logicæ appellantur, nimirum quòd rationis, ut dixi, ſint: deinde oratione ſi opus ſit, utantur. Harum una eſt, emendati ſermonis ratio, ut Grammatica: altera ornati, & ad perſuadendum accommodati, ut Rhetorica: tertia probabilis, aut neceſſarij, ut Dialectica, & Apodictica. Poſteriori ſubijciunt Phyſicam, Metaphyſicam, & Mathematicas artes: uidelicet Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, et Aſtronomiam. Actionis quoque in duo genera diſtribuũt, tum in id genus cuius omne opus eſt in agendo, tum in id cuius omne opus in faciendo cernitur. In agendo quidem, quod ad hu-

manas actiones, & mores gubernandos comparatum eſt: in quo genere ſunt Ethica, Politica, Oeconomica, quæ de morib. aut generatim, aut ciuitatis, aut familiæ, ſtatuunt. In faciendo uerò, quod in ijs artibus quas & δημιουργικὰς, & μηχανικὰς, id eſt opificum appellant: quæ opus quod extet, ipſæ faciunt manu: ut auri, ferri, ligniq; fabrica, annulum, gladium, aut ſellam facit, & id genus alia. Ex his logicæ & mathematicæ, liberales appellari ſolent, quibus præcipuè ingenuorum liberi apud ueteres erudiri conſueuerant, ut pòſt ad philoſophiã, tum etiam ad agendum inſtructiores accederent. Hæc eſt artium & philoſophiæ ſumma perfectaq; partitio, ex copioſa illa Peripateticorum doctrina profecta: quam qui reprehendunt, neq; commune artium uinculum, neq; partiendi rationem, ſatis intelligere uidentur.

DE TRIBVS LOGICIS artibus.

Liberales primùm ingenuæq; artes ideo dictæ uidẽtur ſeptẽ illæ, quòd libero atq; ingenuo ſint homine dignæ: quodq; liberos ſuos ſectatores efficiãt, et in faſtigio rerũ humanarũ tanquã reges collocent ac reponant. Qua de cauſſa omnibus uideri neceſſariæ poſſunt, qui liberi, non ſerui eſſe uolunt (omnes autem uelle debent) quiq; tanto cæteris hominibus præſtare ſtudent, quanto homines

reli-

reliquis animantibus præſtant. Nam & humanitatis quoq; artes, à nonnullis uiris doctiſsimis appellatæ ſunt, puto, quòd in ſolos homines, non etiam in belluas cadant: ſeu quòd eos quibus adiungunt ſeſe, uerè homines faciant, hoc eſt, omni cultu humanitatis informent. Verùm ita comparatum eſt, ut quod omnibus in commune conducit, uni plus, alteri minus neceſsarium ſit: ut cum ſiccitas agrorum eſt, tametſi copioſi imbres omnibus proſint, magis tamen ei qui agrum poſsidet, iucundi neceſſarijq; eſſe uidētur. Et cum ſcientia militari, miles quiuis inſtructus eſſe debeat: maximè tamen ea ducem attingit, à quo militem quoq; ipſum decet erudiri. ſic harum artium ſcientia omnibus quidem & ornamento & commodo eſſe poteſt: ſed cui ea tam neceſſaria ſit, quàm Grammatices magiſtro, inuenias neminem. Nam cum de ſermone, orationiſq; facultate præcipiant, & Grammaticus ſermonis linguæq; magiſter ſit, earum certè cognitione carere non debet. Et ut de prima dicam, quæ reliquis ueluti materiem ſecat, Grammaticus ne dicetur is, qui Grammaticen ignoret? aut quomodo loqui purè alios docebit, qui ipſe puri dilucidiq; ſermonis rudis et ignarus ſit? Vt enim ſi abſurdè canat is, qui ſe uelit haberi muſicum: aut ſi pingēdi artem profeſſus quiſpiam, colores temperare & miſcere neſciat, hoc turpior ſit, quòd in eo ipſo peccet, cuius

profitetur ſcientiam: ſic Grammaticus in ratione loquendi peccans, hoc turpior eſt, quòd in officio, cuius magiſter eſſe uult, labitur: artemq́; Grammaticæ profeſſus, delinquit in Grammatica. Nihildum de magnis illis artibus dico: de neceßitate tantum huius artis loquor, deq́; eius quam profitetur linguæ peritia, expromptaq́; facultate loquor: cuius non præcepta modò, & infinitas prope loquendi formulas calleat neceſſe eſt, ſed etiam cauſſas, origines, progreſſus, ut & docere, & ſcribere, & reſpondere de his aptè eruditeq́; poßit. Quid? quod ne Grammaticen quidem ordine & uia docere poterit, ſine Dialecticæ adminiculo? Martianus quidem Capella ait, Grammatici officium eſſe, intelligere, & probare: quæ duo mihi uel cum philoſophis uidentur eſſe communia. Nam ut Aurelius Auguſtinus autor eſt, hæc ſola docet docere, docet diſcere. In hac ſe ipſa ratio demonſtrat, atque aperit, quæ ſit, quid uelit, & quantū ualeat. Sola item hæc ſcientes, non ſolum facere poteſt, ſed etiam ſolet. Sapienter dixit Plato, Dialecticam oculos humanos in barbaricum cœnum immerſos, ſenſim attollere, abſtergereq́;, ut in iudicando acutius uideant. Et quidem ita anteponit omnibus alijs artibus Plato hanc, ut alias neget res intueri ipſas, ſed ſomniare de rebus: hanc unam dicat uidere etiam abditißima, atq; à ſenſib. remotißima.

tiſsima. Nam hæc una, id quod in quaq; re certiſsimum eſt, demonſtrat: noſq; tanquã in rem præſentẽ ducit. Sine hac arte nulla magna cauſſa, uel percipi, uel explicari commodè poteſt. Proinde de Dialectica perdiſcenda meritò legem tulit Socrates in ſua Rep. & prudenter iudicauit, in bene inſtituta ciuitate ſine hac nihil certi tradi, aut tractari poſſe: quam qui non tenent, hos ſæpe in docendo ac diſceptando aberrare neceſſe eſt. Quia uerò ἡ ῥητορικὴ ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, eiuſq; propago & quaſi ſurculus, ut ad Theodecten ait Ariſtoteles: et quia Dialectica per ſe breuis eſt, et quodammodo ieiuna, neq; ornatus neq; uenuſtatis in ſe quicquã habẽs (eſt enim frugi fœminæ ſimilis, ut recte Ariſtoteles, pauco ueſtitu ornatuq; cõtẽta) perſpicuũ eſt, alterã ſine altera nõ ſatis cõmodè ſuum munus tueri, proferreq; poſſe. quare neceſſariò eſt inuẽta Rhetorica, id eſt bene dicendi ſciẽtia, reginã elegãtiſsimã (non, ut malè quidã aiũt, meretricem) referens, quæ nuda quaſi oſſa carne & cute contegit, uiuos colores addit, — Lumenq; iuuentæ
Purpureum, et latos oculis inſpirat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
Argentum, pariuſue lapis, circumdatur auro.

Zeno quidem ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes intereſſet. Nam cum digitos compreſſe-

rat,

rat, pugnumq́; fecerat, Dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe: cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. Quæ cum ita ſe habeant, nemo ſibi perſuadeat, ſe illuminatè, diſtinctè, aptè ulla de re dicturũ eſſe, niſi hac arte adiutus, imitationeq́; optimorum autorum, & magna cura orationem ea lingua qua ueteres ſunt uſi, quæ Latina appellatur, formarit. Siue enim conſilio alij ſunt iuuandi, ſiue docendi, ſiue tuenda eſt ſententia aliqua, ſiue de iure æquo ac bono diſſerendum; nihilo plus efficias quàm in ſcenis mutæ perſonæ ſolent, niſi arte elaboratam orationem attuleris, quæ rebus obſcuris lumen coloremq́; afferat. Non me fugit, Laurentium Vallam in ſuis de Elegantia libris, & Picum in epiſtola quadam, elegantiam à rectè loquendi ratione ſeparaſſe: qui ſi rem propius inſpexiſſent (quanquam utrunq; luſiſſe ut in ἀδόξῳ argumento, magis crediderim) neutiquam adſcititium et ſuperuacaneum ab eloquentiæ profeſſoribus fucũ inuectum in orationem eſſe iudicarent. Ipſa orationis munditia, cultus et ornatus, elegantia eſt. Nam & Philoſophi, non ex ſingulis ſeu uocibus ſeu moribus ſpectandi ſunt, ſed ex perpetuitate atq; conſtantia: ſic non unum aut alterum uocabulum, non una aut altera ſententia paulo ſpecioſior, orationi inſerta, ſed perpetua uerborum & ſententiarũ electio & collocatio, elegantia,

Digitized by Google

tia, atq; adeò ipſa eloquentia eſt: ut iam nihil aliud ſit eloqui, quàm eleganter dicere. Ne*que aliter unquã ipſe eloquentiæ parens intellexit* Cicero*, ſi modò diligenter attenderis.* Q*uemadmodum enim in corporibus, ea demùm elegantia ſiue pulchritudo eſt, cum iuſta proportione membra omnia inter ſe conſentiunt cum coloris quadam ſuauitate: ſic in oratione. quæ tum elegans dicetur, cum ſuis quæq; locis erunt collocata, ſuisq; ornamentis & coloribus ueſtita: alioqui futurum eſt, ut omnium irriſione ludatur, atq; à nemine ſatis intelligatur.* Q*uid uerbis opus eſt? Si enim* R*hetorice eſt bene dicendi ſcientia: malè dicat neceſſe eſt, qui* R*hetoricen non tenet. id quod et* F*abius teſtatur:* E*loquentia quoq; nõ mediocri, inquit,* G*rammatico eſt opus, ut de unaquaq; earum quas demõſtrauimus rerũ, dicat propriè et copioſe. Sed de* R*hetoricæ ui et facultate alio loco nonnihil dicetur.*

DE MATHEMATICIS DISCIplinis generatim.

HActenus *de logicis artib. pauca retulimus: iam de his quas* μαθηματικὰς*, quæ propriè diſciplinæ dicuntur, ut loquacibus ſuccedant mutæ, & imponatur ſilentium linguæ tandiu agitatæ, pauca referemus.* H*æ in quantitate uerſantur.* Q*uantitatem porrò duplicem fecerunt, numerorũ unam, magnitudinis alteram: ſed ex magnitudine,*

figuræ

ſiguræ & proportiones conſtant. De numeris una eſt diſciplina, eaq́; ſimplex, quam Arithmeticen dixere: cuius nomē, ſubiectam materiem teſtatur. De magnitudine, unam pariter habemus, Geometriā: quæ in corporū dimenſione cernitur. Numerus ad harmoniam trāslatus, efficit muſicam: Dimenſio ad res cœleſtes, gignit Aſtronomiam. Magnitudines et ſiguræ ad uim cernendi traductæ, eam partē mathematicæ dederunt nobis, quæ ὀπτική nominatur, uulgò Perſpectiua dici ſolet, pictorib. potiſsimum neceſſaria. Maiores noſtri plures non potuerūt inuenire, uel quia non intenderunt animum, uel quia noluit homini plures patefacere ſummus ille Magiſter artium Deus. Diſciplinas haſce certiſsimas eſſe, Ariſtoteles meritò affirmauit: ex quib. tum ipſe, tum Plato, ad philoſophiam omnem, euidentiſsima ſumunt argumenta, quæ uocātur demonſtrationes: ſimilitudines item, & exempla in primis appoſita: quæ apud ueteres, in Græcia præſertim, tam erant inter ipſos nota, quàm digiti et ungues (ut dicitur) ſui cuiq; ſunt. Qua de cauſſa & Platonem ipſum in Academiæ ſuæ limine uelut edictum propoſuiſſe legimus, quo uetaret eò ingredi, harum artiū imperitos. Proinde has Fabius oratori eſſe neceſſarias aſſerit: cur non & nos Grammatico noſtro neceſſarias eſſe dicemus? Siquidem Grammaticus omne autorum genus interpretari debet, ſi opus ſit:

& in autoribus nuſquam non ſunt obuia huiuſmodi diſciplinarum ueſtigia, quibus docti homines ſua inuenta conſperſerunt, & quaſi tinxerunt. Quo fit, ut eædem rationes, quib. Fabius haſce diſciplinas oratori ſuadet ſuo, iiſdem & nos Grãmatico noſtro ſuadere poſſimus. ſi enim oratori idcirco ſunt neceſſariæ, quòd de illis interdum dicendum ſit: cum Grammatico ſit & docendum, & dicendum ſimul, non minus erunt neceſſariæ. Sed nos ea tantum ſumemus, quæ magis ad noſtrum inſtitutum facere uidebuntur: quibus & alia nõnulla, non ingrata (ut puto) adiiciemus.

DE ARITHMETICA ET Geometria.

INcipiamus ab Arithmetica, ex qua tanquam ex fonte, reliquæ fluxiſſe uidentur. Primùm omnium, numerare inter animantes ſoli homini datum eſt, hominiſq; proprium maximè habetur: ut qui hanc pulcherrimam facultatem contemnunt, non homines, ſed bruta eſſe potius cenſeantur. Deinde, nos ipſi qui homines appellamur, ſi bene nos ipſi nouimus, numeris & proportione conſtamus. Et nihil melius, quàm ſeſe intus et in cute cognoſcere, atque exploratum habere: uel eo oraculo manifeſtum eſt, quod & Iuuenalis in ſuis Satyris inſeruit: E` cœlo uenit γνῶθι σεαυτόν. Qui fiat igitur, ut ſe quiſquam bene norit, hac arte deſtitutus?

Adde

Adde numerandi neceßitatē. Nulla enim uitæ pars, neq; publicis, neq; priuatis in rebus, carere numerorum ratione poteſt. Itaq; Platonem legem tuliſſe legimus, de numerorum ſcientia in ciuitate retinenda, & excolenda. Et iure quidem: nam nulla alia diſciplina ad rei priuatæ & publicæ adminiſtrationem, ad artes etiam tractandas, tātam habet uim, quantam numerorū cognitio: quæ et ſomnolentos, & natura hebetes excitat: & dociles, memores, ſolerteſq; facit, ut uel præter naturam ſuam diuina hac arte adiuti proficiant. Omitto, naturæ ac rerum diuinarum myſteria numeris et proportionibus contineri: cuius rei fidem uel unicum (ut alia propè infinita præteream) Reuclini de uerbo mirifico opus, facere poteſt. Rectè igitur Fabius numerorum notitiam non Oratori modò, ſed etiam cuicunq; primis ſaltem literis imbuto, neceſſariam eſſe confirmat. De Geometria uerò, in qua Geographiam, Coſmographiam, et Opticem intelligo, quid attinet dicere, cum ne corpora quidem ulla ritè metiri, nec menſuris comprehenſa intelligi, niſi huiuſce artis adminiculo, poßint? Ex Geometria enim lineamēta, formas, interualla, magnitudines, omniumq; rerū et locorū menſuram, proportionē, ſitūq; percipimus. Quantas ad pingendum fingendumq; affert cōmoditates? Quid, quòd ne figuræ quidem ipſæ literarum, quæ lineis & figuris Geometricis

planè

plane conſtant, citra hanc artem rectè pingi poſſunt? Quare extat etiãnum Socratis apud Platonẽ lex, quæ in Arithmetica & Geometria omniq; huiuſmodi liberali eruditione pueros inſtitui iubet. Præſertim uerò id ob γραφικὴν præcipiebant antiqui, quam illi inter liberales diſciplinas numerabãt: cuius utilitates propè innumeras, nos breuitati ſtudẽtes, prætereũdas duximus. Nõ ſe igitur uel autores enarrare, uel ſcribẽdi rationem (quod eius eſt muneris omnino) poſſe docere Grãmaticus, Geometriæ prorſus ignarus, ſperet: id quod mecum fatebitur, quicũq; in ueterum ſcriptis uerſatus ſit, aut aliquando uerſabitur.

DE MVSICA.

NEq; citra Muſicẽ, ſi Quintiliano credimus, Grammatice poteſt eſſe perfecta: cum ei de metris & rhythmis dicendum ſit. Et rectè quidem Fabius. nã cũ Muſicæ huius, de qua loquimur, ſint tres partes: una harmonica, quæ in ſonis acutum et grauem & medium diſcernit, quæq; ex uocum modulatione cõſtat; altera rhythmica, quæ in concurſione uerborum, bene an malè ſonus cohereat, expendit: tertia metrica, quæ menſuram diuerſorum metrorum probabili ratione cognoſcit: ſatis perſpicuum eſſe arbitror, ſine muſicæ ſcientia Grammaticum bonum eſſe non poſſe. Primùm enim literarum et ſyllabarum ſoni, ſunt ad muſicam rationem

moderandi. Deinde poetica, tertiũ eſt, autore Martiano Capella, muſicæ genus: uel, ut Ariſtoteles in aureo de Poetica opere, muſica in poetica cernitur. ad quod reſpiciens Terentius, artem muſicam dicit, cum poeticem intelligi & literas uelit. Accedit his, quòd Grammatica apud ueteres ac muſica coniunctæ fuerunt artes, adeò ut pueri ab eodem præceptore utranq; diſcerent. ſiquidem Architas et Ariſtoxenus, ſubiectam muſicæ Grammaticem putauerunt: et Maricas, qui eſt Hyperbolus, ut eſt apud Fabiũ, nihil ſe ex muſice ſcire, niſi literas, cõfitetur. Præterea multa ſunt in poetis, quæ ſine muſicæ cognitione ſatis eruditè explicari non poſſunt: uelut cum ſexto Aeneidos Vergilius Orpheum in Elyſijs cithara canentem facit, ſic ait:

Nec non Threijcius longa cum ueſte ſacerdos
Obloquitur numeris, ſeptem diſcrimina uocum:
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulſat eburno.

Quis hæc, niſi muſices θεώρησιν calleat, ritè interpretabitur? Nam ut delibemus aliquid: ſeptem diſcrimina uocum ſiue ſonorũ, quos Græci φθόγγους, ſeu τόνους nuncupant, ſunt, ὑπάτη, παρυπάτη, λίχανος, μέση, παραμέση, παρανήτη, νήτη. Quaſi dicas, grauis, penè grauis, index, media, penè media, penè acuta, acuta. Eam muſicam Pythagoras et Plato, ſeptem planetarum orbibus tribuerunt: Orpheus è cœlo ad citharam reuocauit ἑπτάχορδον. his ergo

numeris

numeris diuinus uates melopœa quadam ſymphona (diſcantum & contrapunctum appellitant uulgares) ſuæ citharæ reſonabat, quam harmoniã Vergilius ipſa uerſus compoſitione penè expreßit. Duplicato enim ſyllabarum ſepteno numero, qui numerus rerum omnium ferè nodus eſt, ut Plato et Cicero ait, priorem uerſum cecinit: alterũ eodem numero, & inſuper ſyllaba, quæ quintumdecimum numerum concentumq́; uocum expleret. adeò ut et ipſam citharam, atq; ex aduerſo obloquentem, hoc eſt occinentem & reſpondentem, Threijciũ uatem propemodum ipſis auribus accipias: quæ compoſitio pentaſchematica à Cleomede dicitur. Quid? quod ſi rectè intueamur, per quãdam imitationem harmoniæ uocalis, qua literæ naturalibus efficiuntur inſtrumentis, effictus Muſarum numerus nouem, teſte Fulgẽtio, ſpiritus harmoniæ pater ad humanam uocem uenit, per quatuor anteriores dentes: quorum ſi quis deſit, ſibilus, nõ uox ex ore efflatur: perq́; duo labia, & linguam, & quod octauum eſt, palatum, οὐράνιον Græcis appellatum: propterea quòd ſit ad formam cœli, quod οὐρανὸν illi ijdem dicunt, factum: unde Muſa, quæ cœli motus ſcrutatur, & aſtra, Vrania uocatur. Nonum eſt guttur, per quod ſpiritus egreditur, concentum ex diſcrimine uocum reddens. Vnde prouerbium, indoctos à Muſis & Gratijs abeſſe: qui nullam literarum har-

moniæ rationem, hoc eſt nullius literatæ diſciplinæ cognitionem, ſentiant. Nobis enim cum harmonijs & numeris quædam uidetur eſſe cognatio. Itaque multi ſapientes tradunt, partim, animum eſſe harmoniam, ut Ariſtoxenus: partim, harmonia conſtare, ut Plato et Hipparchus teſtantur. Hæc & huiuſmodi alia, quæ nunc omittenda duximus, indicat ſatis, quàm ſit Muſicæ ſcientia Grammatico neceſſaria. Verùm enimuero ad doctrinam (quemadmodum Plato in Legibus, & in Politicis præcepit Ariſtoteles) morata Muſica utendum eſt: & talibus harmonijs, qualis eſt Doria, aut Lydia, quæ neque remiſſos, neq; rurſum concitatos habent tonos, ſed religioſa eruditaq; moderatione temperatos: ac ſi quod aliud Muſicæ genus liberalem doctrinam decet. Eiuſmodi uerò modos, quales hodie ex aulædis iſtis, atq; uulgaribus Muſicis, ad laſciuiam tantum furoremq; concitantibus audimus, tanquam lethiferos Sirenarum cantus effugiat, qui ſapiens bonusq; eſſe uelit: in eoq; Mineruã imitetur, quam cum tibias reperiſſet, fama eſt abieciſſe, nõ tam credo oris deformitate infenſam, quàm quòd ſapiens dea ſe ad animi deformitatem laſciuiamq; incitatum iri metueret. Nam mores ad Muſicos modos formari & commutari, autor eſt Plato.

DE

DE ASTRONOMIA.

DE Aſtronomia minus mihi laborandum e-rat, quo eam meo Grammatico commendarem, niſi quidam pecudum more, pabulo & uentri dediti, pulcherrimam artem eliminaſſent: obliti miſeri diuina illa Naſonis carmina, à diuino Lactantio tantopere laudata: imò obliti ſe homines eſſe, indigni quidem qui homines uocentur:

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

Quis enim tam ferreus eſt, tam ſine ſenſu ullo, ut aliquando cœlum ſuſpiciens, & pulcherrima in eo lumina intuens, non admiretur tam uarias ſiderum uices? nec cupiat illorum motus certa ratione deprehẽdere? Vtinam uerbis efferre poſſem, ea quæ animo cogito: quantam lucem animis, quantam lætitiam hæc contemplatio afferat. Proinde præclarè mihi uiſus eſt dixiſſe Plato: Aſtronomiæ cauſſa oculos hominibus eſſe datos. Illud profectò innuens, nihil in totius huius uniuerſitatis reb. eſſe pulchrius, quam cœleſtia lumina: idcirco homines natura ad hanc tam egregiam pulchritudinem ſuſpiciendam rapi. Quid, an non Deum, cuius numen implet omnia, qui & nuſquam eſt, et nuſquam non eſt (nãq; Deum ire per omnes Terraſq; tractuſq; maris, cœlumq; profundum, uates ſapientiſſimi dixerunt: &

ipſe per uatem dicit, Cœlum et terram ego impleo)
in cœlo eſſe dicimus, non aliam uidelicet ob cauſ=
ſam, quàm ob corporum cœleſtium, lociq; excellen
tiam: et ut ab illa tã inſigni pulchritudine ad ſempi
ternã cogitationem rapiamur. Ac mihi qdem ocu=
li ipſi uel cognationẽ maximã cũ ſiderib. habere ui=
dentur. ut cum in mũdo lucet ſol, ipſaq; luna, ita in
homine (quem pleriq; ob expreſſam quam cũ mũ=
do habet ſimilitudinem, μικρόκοσμον dixerũt) ſua
quædam lumina ueluti ſidera elucent. Itaq; qui co=
gnata illa lumina faſtidiunt, digni ſunt qui oculis
priuentur, cum illis ad eam rem uti nolint, ad quam
præcipuè conditi ſunt: præſertim cum illa ipſa co=
gnitio, nos etiam & Dei & immortalitatis noſtræ
commonefaciat. Nam cum ſiderũ certos ratosq; mo
tus conſpicimus, diſcimus nihil eſſe inordinatũ atq;
fortuitum, ſed ſempiterno quodam conſilio menteq;
cuncta conſtare ac fluere. Quare ſi Aſtronomia
hanc de Deo opinionem in animis mortalium gi=
gnit, Academicorum princeps non eruditè mo=
dò, ſed etiã piè dixiſſe iudicandus eſt, Aſtronomiæ
cauſſa nobis oculos eſſe datos. Nec aliter ſenſit A=
naxagoras, cum ſolis ac cœli ſpectandi gratia ſe na
tum eſſe reſpondit: etiamſi in aliam partem Firmia
nus Lactantius, dum philoſophis nihil uult conce=
dere, Anaxagoræ dictum torſerit. Sunt enim hanc
ob cauſſam præcipuè dati, ut ad inueſtigãdam ali=

quam Dei notionē per ea quæ ſunt condita, ut Paulino utar uerbo, nobis duces eſſent. Proinde ex philoſophis illi ferè qui Aſtronomiam aſpernati ſunt, fuerunt ἄθεοι: & ſublata prouidentia, ſimul etiam religionem atq; immortalitatem animorum noſtrorum ſuſtulerunt. qui ſi hanc doctrinam uel primoribus, quod aiunt, labris attigiſſent, manifeſta Dei ueſtigia in natura deprehendiſſent: quib. animaduerſis coacti eſſent fateri, mente diuina hanc rerum uniuerſitatem et conditā eſſe, & gubernari. Quid? an non & ex ſacris literis grauiſſimū habetur teſtimonium, quo nobis hæc ipſa ſtudia commēdantur? Ait enim nō Ptolemæus, non Proclus, ſed mūdi opifex Deus, per fideliſſimum Moſen: Sint lumina in liquido cœlo, quæ diem à nocte diſtinguant, quæ & ſigna & tempora & dies & annos efficiant. quādo enim conficiet nobis ſol annos & reliqua, niſi obſeruato curriculo, deſcriptis ſpacijs atq; interuallis motus et temporum? Iccirco cœleſtis illa uox hortatur nos ad obſeruandos cœleſtium corporum motus, ut tantarum rerum autori optimo gratias agentes, cum Boetho canamus:

Tua uis uarium temperat annum,
Vt quas Boreæ ſpiritus aufert,
Reuehat mitis zephyrus frondes:
Quæq; Arcturus ſemina uidit,
Sirius altas urat ſegetes.

Quid commemorem utilitates publicas? Qualis eſſet futura hominum uita, ſi hac motuum cœleſtium, orbiumq; deſcriptione careremus? ſi annalium confectionem & hiſtoriam, in rebus gerendis ducem, non haberemus? pluſquam barbarorũ, imò belluarum uita fuerit, nullam poſſe antiquitatis memoriam, nullum temporum ordinem in præſentib. negotijs conſtituere. In tanta inſcitia, quis religionem ullam, aut ciuilis ſtatus rationem retineret? Quem iſta non mouent, nauiget Anticyras. Eſt enim manifeſtum inſaniæ genus, motuum cœleſtium cognitionem aſpernari, quæ cùm eruditiſsimas tum firmiſsimas rationes habet: ut maximè alteram illam partem diuinatricem, quæ ab eruditis Aſtrologia nominatur, omittamus. Tametſi mihi neque Phauorinus ille Gellianus, neq; Ioannes Picus Mirandulanus, neq; alius quiſquam, ſidera nullos habere effectus in elementis, & in animantium corporibus, præterea nullas ſignificationes in hac inferiore natura, perſuaſerit. Nam experientia docet, ardentium ſtellarum congreſſus urere hæc corpora, & ſiccitates afferre: rurſus, humentium ſiderũ congreſſus mirificè humores excitare. Deinde uariè mixta lumina, uarieq; temperatæ qualitates, ut in medicamentis res diſsimilimæ, aliter temperatæ, alios atq; alios habent effectus. Quamobrem rectè dixiſſe Ariſtotelem iudico, cum ait, hũc inferiorem

mun-

mundum à ſuperiore gubernari,et ſuperiora cauſſam motus inferioribus corporibus eſſe. Idq; ratione efficaciſsima munit,hoc pacto : Cũ initium motus ſit à cœlo,conſequitur,motum cœli & reliquis cauſſam motus eſſe. Sicut enim in his noſtris corporibus, uita ſeu primus motus qui eſt in corde (eſt enim cor uitæ motuſq; principium, & fons) ciet motum in alijs membris & partibus: ſic cum haud dubiè motus cœli primus ſit,reliqua corpora incitat,ut ſuos quoſdam proprios motus habeãt. Quid quod medici, qui ſolent in materia potius quàm in cœlo rerum cauſſas inquirere, tamen multa ad ſiderum decreta referunt:ut Hippocrates de aere,aquis & locis oſtendit. Sed hanc partem fortaſsis à doctrina Chriſtiana quiſpiam diſſentire putabit, ac prouidentiam tollere: quòd ea inter prima eius placita doceat, omnia diuinitùs gubernari. Id etſi ueriſsimum eſt, tamen diuina illa mens naturales actiones ac ſignificationes rerum non tollit: quemadmodum in gignendis alendiſq; corporibus apparet,quibus etſi uitam ac motum Deus impertit, tamen ea & à ſuis quæq; ſeminibus oriri,foueri,paſciq; cibo & potu, alijs item rebus ad uitam tuendam conditis,iubet.Et ut cœlum,ipſaq; ſidera, organa ſunt,per quæ diuina uirtus ſeſe terris infundit :ſic eorum rationem noſſe, nihil eſt aliud quàm diuinorum operum noſſe rationem.Neq; enim pul-

cherrima illa ſiderũ corpora fruſtra cõdita eſſe, ſentiendũ eſt: præſertim cũ ille ordo atq; curſus ſumma ratione cõſtet, adeò ut quædã quaſi politia in cœlo, uelut in pulcherrima tabula depicta cernatur. Sol ille aureus, tãquã rex medio uehitur orbe, ſtipatus ſenatorib. bellatore Gradiuo, et facũdo Mercurio. habet œconomas, triformẽ Hecatẽ, pulcherrimãq; forma Cythereã. Nã hæ præcipuè in ciẽdis humoribus quib. alũtur corpora, dominãtur. hinc atq; hinc, hos oẽs reliqua ſtellarũ multitudo penè infinita, quam militũ manus longè inſtructiſsima circũſtat, per aera ſpacioſum miro ordine uaga. Quare abſurdũ nimis fuerit, tã mirũ opificiũ, tantũ ordinẽ, tam certos motus, nullas ſignificatiões habere: nil niſi ſpectanda ſe præbere. Neq; uerò fruſtra poſitis in cœlo pulcherrimis illis luminib. iuſsit Deus ipſe, ut et ſigna eſſent, et tẽpora et dies et annos nobis conficerẽt. Itẽ Dominus, Erunt ſigna in ſole et luna: ſigna nimirũ, quæ admoneãt de reb. futuris: ſigna imminẽtium calamitatũ. ſic enim autori ſuo aſtra famulãtur. quod qdẽ roboratur cõſenſu omniũ ſeculorũ: quo cõpertũ eſt lunæ, ac præcipuè ſolis defectionẽ ferè ſecutos fuiſſe triſteis euẽtus. Quod nullius diſciplinæ exps Maro in Georgicis ſuis eleganter doctèq; cõfirmat:

Deniq; quid ueſper ſerus uehat, unde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus auſter,
Sol tibi ſigna dabit: ſolem quis dicere falſum

Aude-

Audeat? Ille etiã cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemq́; & operta tumeſcere bella.
Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Quum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaq́; æternam timuerunt ſæcula noctem.

Has defectiões antè cognouiſſe, præter reliquas utilitates, ad hoc etiã cõducit, ne inopinata defectio ſideris ignaros perterrefaciat. Qua præſciẽtia Pericles Atheniẽſis et L. Paulus ſuos ingẽti timore liberauerũt. Quod ſi Nicias in Sicilia præſciuiſſet, nõ tali cõfuſus ob lunæ defectũ metu, pulcherrimũ Atheniẽſiũ exercitũ perdidiſſet. ſicut igitur aliæ partes phyſices nõ lædũt religionẽ Chriſtianã, ſic nec aſtrologia (nã hanc quoq; partẽ phyſices eſſe perſpicuũ eſt) officit pietati, ſi quis in loco utatur: atq; ad Dei ꝓuidentiã omnia referat. Sed ut ad Aſtronomiã redeã, ea hoc differt ab Aſtrologia, qd' illa docet cœli cõuerſionẽ, ſitũ, ortũ, obitũ, motũ defectionẽq́; duorũ ſiderũ: hæc ex his rerũ inferiorũ naturas et mores cognoſcit, interdũ etiam quædam futura prædicit. Cum aũt ſcriptores pleriq;, poetæ præſertim, nõnihil paſſim de ſtellis, alijſq; reb. cœleſtib. nõ modò uarietatis gratia, quæ in omnibus reb. grata eſt, uerùm etiã utilitatis ac neceſſitatis, ſuis operib. inſerere ſoleant, eos nec intelligere, nec alijs explicare poſſunt, qui exiguũ laborẽ fugientes, hæc ignorãt: nec cum ſcribere ipſi quidquã uolunt, audẽt harum

rerum

rerum mentionem ullam facere: aut ſi faciunt, nihil ineptius eſſe uideas. Hæc autem ars, an Grammatico neceſſaria ſit, docet Fabius his uerbis: Nec ſi rationem ſiderum ignoret (de Grammatico loquitur) poetas intelligat: qui, ut alia omittam, toties ortu occaſuq; ſignorum, in declarandis temporib. utuntur. Cum igitur et natura nos excitet, nec prohibeant diuina oracula (quanquam ille naturæ ſenſus, diuinus quidam afflatus, & quædam quaſi Dei uox eſt) & utilitas, et ornatus, atq; adeò neceßitas ipſa inuitet ad hanc doctrinam: diligenter eam excolet, qui doctus eſſe, haberiq; uelit. Verùm hic Platonis dictum ſanctè ſeruandum eſt. ait enim, Aſtrologiam eatenus diſcendam eſſe, ut de cœleſtibus nihil profanum aut abſurdum loquamur: & poſtquam didicerimus, rectè loquamur.

PHYSIOLOGIAM ET MORALEM diſciplinam eſſe Grammatico neceſſariam.

His artibus & inſtrumentis meus Grammaticus inſtructus, nequaquam temerè, neq; illotis, ut dicitur, pedibus ad docendum uenerit. Sic enim fiet, ut oratores, hiſtoricos, poetas ac philoſophos ipſos enarraturus, aut quouis modo lecturus, quoquò ſe uertat, rem aſſequatur, non umbram rerum: uelut Ixion, qui pro Iunone nubem, ſiue nebulam potius, complexus eſt. Sed iam audire uideor, quid Grammatico cum philoſophis? Quod idem eſt

ac ſi

ac ſi quis dicat: Quid omnium artium ac doctrinarum magiſtro cũ artibus? aut quid uiro bono cum præclaris eximijsq; uirtutibus? Nec ignara philoſophiæ Grammatica eſſe debet (autore Fabio) propter plurimos in omnibus ferè carminibus locos, ex intima quæſtionum naturalium ſubtilitate repetitos. Quid hic reſpondeas Fabio? Cõmentarijs (dices) ſatis eſſe ad ea interpretanda. Scio. Sed cedo per tuam Iunonem, ubi dormitauit commentarius, ubi cæcutit, ubi lapſus eſt, aut allucinatus, quid iſthic ages? aut in quam te uertes partem? Nam id non rarò euenire cernimus: alioqui cur Donatum & priores Seruius, Seruium Beroaldus, Politianum Merula, Calderinumq;: Politianus utrũq;, hos alij, alios item hi, caſtigant, arguunt, flagellant?

Et tu nihil in docto lippus deprehendis Homero? ſed alba, quod dicitur, amuſſi, omnia dijudicas? Et hoc eſt, quamobrẽ pleriq; omnes, cuiuſuis ſtulticapitis cõmentarijs freti, ſine literis, ſine ulla rerum ſcientia, ſine iudicio, ad literarum munus temerè accedimus. Quanto melius cùm nobis ipſis, tum alijs conſuluiſſemus, ſi proprijs quàm alienis oculis cernere maluiſſemus. Vtinam nulli eſſent commentarij, ſimulq; edicto cautum (quod Iuſtinianus de legibus fecit, tametſi à poſteris parum ſeruatum) ne quis in autores commentaria ederet impunè. Sic enim fieret, ut uel inuiti arteis ipſas, diſciplinasq;

omnes

omnes ad Philologiam ſpectantes, & quidem minore tum temporis tum pecuniarum impenſa, diſceremus. Sed iam ad inſtitutum noſtrum nos reuocemus. Philoſophiæ, quam ſtudium ſapiētiæ interpretatus eſt Cicero, ac munus & donum Deorum cum Platone nominauit, partes etiam fecimus, Moralē, cui ſubijciūtur Ethica, Oeconomica, Politica: deinde leges, & quæ uim legum obtinent, cum militari diſciplina, et alia: & naturalem, quæ φυσιολογία dicitur Græcè, ad quam referuntur, Phyſica ipſa primùm, quæ principia & cauſſas rerum naturalium explicat: deinde medendi ars: item prima philoſophia, quæ de naturis abſtractis, maximeq́; à ſenſu remotis ac ſempiternis diſſerit, aliaq́; nonnulla: quæ ſi quis penitus ignorauerit, nō uideo quomodo inter eruditos haberi poſſit, uel in autorib. rectè uerſari. Siquidem nunc uitij, nunc uirtutis alicuius incidit locus: nunc de domeſtica diſciplina, nunc de publica, de lege, more & inſtituto quopiam, de militari arte ac belli iure tractandum. Iam aliqua naturali ſententia, quæ ſcriptorum ſcheda uacat: dum de animantibus, ſtirpibus, de ſenſu, motu, ortu, interitu, morbis, horumq́; cauſſis, atque alijs eiuſdem generis, autores mentionem faciunt: quod nunquam non faciunt. Quid de medicina dicam; tum ea quæ potionib. et remedijs alijs curat, tū quæ uictus certa ratione, tū quæ manu ulcera uulneraq́;

tra-

Digitized by Google

tractat: quoties morbi cuiuſpiã, quoties remedij nomen occurrit? uelut illud poetæ in Georg. tertio. Morborũ quoq; te cauſſas et ſigna docebo. Itẽ paulo pòſt: Quinetiã ima dolor balantũ lapſus ad oſſa Cum fuerit, atq; artus depaſcitur arida febris, Profuit incenſos æſtus auertere: & inter Ima ferire pedis ſalientem ſanguine uenã. Quid hic quæſo faciet? quid ſua dignũ perſona, quid erudito afferat? niſi è media medicinæ arte petitum? Cũ igitur nullus ſit autor, in quo non aliquod philoſophiæ ueſtigiũ impreſſũ extet, ſiquis ex philoſophiæ locis recõditiorẽ aliquã explanationem attulerit, præterquã qđ ſuo fungetur munere, quãta erit dignus laude? Nõ ergo alienũ à ſua profeſſiõe Grãmaticus ducet, in philoſophiæ præceptis aliqđ operæ tẽporiſq; poſuiſſe. Verũ cũ de philoſophia loquor, nõ nugãdi artẽ, ſupbiæq; fomitẽ intelligo (qualem pleriq; non philoſophi, ſed ſophiſtæ ſpinoſi docent: quorũ ſcholæ non iã ſcholæ, ſed χόλαι, non διατριβαι, ſed κατατρίβαι dici poſſint) ſed ueterẽ illam quæ de morib. ac natura modeſtè, grauiter, eruditè, copioſéq;, Academicorũ et Peripateticorũ more, diſputat et docet: ne ſi iſtos ſequamur, incipiamus, ut ipſi, ſine fine furere, donec in maniã ſtudia uertãtur.

DE MECHANICIS ARTIBVS.

SVnt præterea et aliæ quas μηχανικὰς & δημιουργικὰς, id eſt opifices artes uocãt: uelut architectura,

chitectura, fingendi pingẽdiq; ars, agricultura, unguentaria, quæ græcè μυρεψική dicitur, et cæteræ, quarũ omne opus eſt in faciẽdo et fabricando: quas artes tametſi non ſum neſcius non intra earũ diſciplinarum ambitum claudi, quas enumerauimus; (ſunt enim in alio quodam genere) tamen quia cognatæ ſunt illi, & ab eiſdem ferè prodeũt fontibus, non eſt quòd nunc in eo magnopere ſim ſolicitus. Harum enim mentio frequens in autoribus fit: quare et earum non nihil profuerit attigiſſe. Quod haud difficulter fiet, ſi inſtrumenta tantum, & generalia quædam huiuſmodi artium, ſummatim diſcet. Plurima ex libris: nonnulla eorum qui iſta tractauerint, uiderint'ue ſermone: ex picturis nõ pauca ſibi comparabit. Quanquam ipſum his rebus interfuiſſe, & uidiſſe quædam, quando nihil certius eſt oculo, magis contulerit. At fortaſſe mirum uidebitur imperitis hominibus, poſſe quenquam tantum numerũ doctrinarũ diſcere, & memoria continere. Verùm ſi cogitauerint, artes quæ ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune uinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineri, fieri poſſe facile credent. ἐγκύκλιος enim diſciplina, uti corpus unum, ex ijs artibus omnibus quaſi membris eſt coagmentata. Itaq; ut qui literas cognoſcere docentur, omnibus in libris pòſt agnoſcunt eaſdem notas: ſic communionem omnium diſcipli

ſciplinarum in artibus uidebunt, & ueſtigia depre hendent, qui à teneris uaria eruditione atq; artibus fuerint inſtructi. Neq; uerò tantum oneris impo= nam meo Grammatico, in tanta præſertim tempo= rum mollitie, atq; hominum deſidia, nihil ut ei pu= tē licere neſcire: neq; ut ſit in philoſophia Plato ſeu Ariſtoteles, in Geometria Euclides, in Aſtronomia Ptolemæus, in Muſicis Ariſtoxenus, in Architectu= ra Vitruuius, in fingēdi arte Myron aut Lyſippus, in picturæ ratione Zeuſis uel Apelles, in Medicina Hippocrates aut Galenus: ſed ut ex eorū fontib. tā tum hauſerit, quantū ſatis eſſe ad earū diſciplinarū ueſtigia, ſententiasq; intelligendas uideatur. Non enim in tanta rerum uarietate, & obſcuritate, ui= tæq; breuitate, omnia plenè & cumulatè quiſquam conſequi poſſit: quod uix ſummis in una qualibet artium doctoribus contingit. Quare ſumma quæ= dam faſtigia & generales concluſiones, rationesq; noſſe, in his omnibus erit ſatis. facile enim iſta diſcū tur, ſi & tantum ſumas, quantum opus ſit: et habeas qui docere fideliter poſſit, & ſcias etiam ipſe diſce= re. Sed ſi tota uita nihil uelis aliud agere, ipſa tra= ctatio & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione ueſtiges. Ita fit, ut agitatione rerū ſit infinita cognitio: facilis autem uſus doctrinam confirmet, mediocris opera tribua= tur, memoria ſtudiumq; permaneat.

DE HISTORIAE COGNITIONE Grammatico neceſſaria.

HAEc autem omnia ſunt petenda non modo ab ipſis philoſophis, ſed à poetis et oratoribus, uel maximè ab hiſtoria: cui, ſi auſim, mehercle non inuitus uni cõtulerim, quicquid meretur laudis uniuerſus artiũ cõcẽtus: cũ una tot artes pariat, nutriat, augeat, excolat: idq; nõ per amara et moleſta præcepta atq; exercitamenta, ſed per amœnitates quaſdã: ut ſimul pulcherrima ac fructuoſiſſima haurias, ſimul animũ recrees ac reficias. Cõſenſu maiorũ celebratũ eſt, Muſas è Mnemoſyne ortas eſſe: eo ni fallor ſignificatũ, ex hiſtoria omne artiũ genus fluere. Hæc quid ſit pulchrũ, quid turpe, quid utile, quid nõ, Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit. hac nulla uitæ pars, neq; publica neq; priuata, uacare poteſt: huic adminiſtratio rerũ urbanarum, huic domeſticarũ, huic belli et militiæ debet. Nemo parẽtes, nemo maiores noſſet ſuos, nemo ius ſuũ, nemo alienũ uel ſcire poſſet, uel obtinere: nemo quam regionem incolat, quomodo illuc peruenerit, nemini poſſeſsio certa eſſet, niſi hiſtoriæ munere. Hac, prudentia comparatur, excoliturq; memoria. nulla ars uacat hiſtoria: non Philoſophia, non Medicina, nõ ipſa Theologia. Ius ciuile totũ ex hiſtoria manat: quod oſtẽdit Caius iuriſcõſultus de Origine iuris. Hiſtoria (ut M. Tullius in ſecundo de Oratore ait)

uit) teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nuncia uetuſtatis. Hiſtoria *ſi abſit, facit pueros: ſi adſit, ex pueris ſenes: quibus autoritas maior eſt, quòd plura noſſe & uidiſſe creduntur: id quod* Homerus *ſæpe teſtatur. Meritò igitur ſacerdos ille* Aegyptius, *Solonem & Græcos alios, qui antiquitatis memoriam non tenerent, pueros appellauit: ut ſcribit* Plato *in* Timæo. *Et dubitet* Grãmaticus, *an ſit ei hiſtoriæ cognitio neceſſaria, cum inſolubilis nonnunquam nodus autoris, unica hiſtoria diſſoluatur? Quomodo* Polyhiſtor *nominabitur (et id nomen, ſi res adſit, illi maximè proprium eſt: quemadmodũ & Philologus, quo nomine* Athenis *Prætextatus Salluſtij præceptor appellatus eſt) niſi multiplicis hiſtoriæ memoriam tenuerit?* Hiſtoriarum *certè cognitionem ad Grammaticos proprio quodam iure ſpectare, ut taceam Quintilianum, teſtis eſt Cicero, libro de Oratore primo.*

DE POETICA, ET AN SIT Grammatico neceſſaria.

P*Oeticam ab imitatione atq; harmonia, quæ duo nobis naturà inſita ſunt, Ariſtoteles originem traxiſſe cõfirmat. Videmus enim ſtatim pueros imitatiõe gaudere: harmonia numerisq; teneri. Ad id aũt impellere uidetur, quòd omnes naturà trahimur et ducimur ad ſciẽdi diſcẽdiq; cupiditatẽ. Ceterũ poeticẽ diuinũ quiddã eſſe, et Plato et M. Tull.*

teſtes ſunt. Ea primùm ad diuinas honeſtasq́; res canendas uidetur eſſe reperta, ut à Moſe & Dauide, ex Græcis Orpheo. Sed procedente tempore, ad laſciuiam & procacitatem translata eſt.

Sic omnia fatis in peius ruere, ac retro ſublapſa referri, ut ait Poeta. quæ cauſſa fuit (ut opinor) cur Plato in ſecundo de Rep. libro, Græciæ poetas primarios è ciuitate expulerit, quam inſtituendã ſumpſerat. Quare, tandiu diuina eſt, quandiu diuinis honeſtisq́; rebus inſeruit: alioqui pernicies maxima, lethaleq́; uenenum cẽſenda eſt. Magnum eſt in ea leuamentum animorum, ex harmonia & concentu. Equidem quod ad uerſum attinet, dulces illos eſſe fateor: propter eam cognationem, quæ eſt cum animo humano. Sunt in uerbis ſiue proprijs, ſiue translatis, grandes, ſublimes, ſplendidi: habent ingentium uirium argumenta: habent affectuũ admirabilem uim, quæ ἐνέργεια dicitur: afflant magno quodam & excelſo ſpiritu, ſicuti adflantur ipſi, ut uel ſupra ingenij ac naturæ ſuæ captum uideantur aſſurgere. At quæſtionem illam, an hæc facultas ſit Grammatices doctori neceſſaria, ſuperuacaneam ego nunc exiſtimo: cum & Muſici ijdem quõdam qui et poetæ eſſent, ut teſtatur in Oratore Ciceronis, Craſſus: & non hoc ſolum, uerùm etiam ijdem Grammatici & Muſici: ut antea retulimus, ubi Muſicen Grammatico neceſſariam oſtendimus.

Deinde,

Deinde, cum enarrare poetas, teſte Fabio ac Cicerone, Grãmatici ſit, quomodo id faciet poetices rudis? Nouerit ergo poeticos numeros omnes, ac decorum: quo de iis & alios docere, & ipſe ritè, cum uſus poſcet, carmina poßit pangere.

DE FABVLIS COGNOSCENDIS.

SIquidem autores Græci & Latini, maximè uerò poetæ, nobis legendi ſunt: fabularum certè quibus illorum opera ſcatent, omnino erit paranda cognitio. Sed uideat, ne quid nimis: præſertim in Ouidianis et Homericis fabulis, et in ſimilibus: in quibus plus eſt laboris in eruenda aliqua ſentẽtia, quæ ad mores trahi poßit, quàm in toto Cicerone de Officiis, aut Ariſtotele de Morib. intelligendo. De quibus utinam cum Socrate dicere poſſemus, nobis ocium minimè ſuppetere, ad eas uel legendas, uel interpretandas: quòd noſtri cognitio nondum nobis cõſtet. In apologis erit diligentior. hi enim non modò mortalium animos incredibili quadam afficiũt uoluptate, uerumetiam ad res honeſtas utilesq; agendas mirificè alliciunt, ac nonnunquam magis quàm uel philoſophus ſuis ſuperciliosis præceptis, uel orator cum ſua παθῶ efficere ualeat. Notum eſt, Demoſthenem apologo attentionem amiſſam Athenienſium reuocaſſe: Steſichorum Himerenſes à ſtulto propoſito deterruiſſe: Menenium Agrippam,

populum Romanum fabella Senatui reconciliaſſe, eiq́; parêre perſuaſiſſe.

DE GRAECA ET EBRAICA lingua.

DE Græca lingua nihil mihi hic dicendũ puto, quo ad eam capeſſendam meũ illũ adhortter: ſiquidẽ iam paßim reſonant Atticæ Camœnæ: et ex ea doctißimus quiſq; tantũ ſibi ſumit, quantũ lubet. Nam et ex Græcis noſtra fluxerũt: & ea linguam noſtram locupletari ornariq́;, teſtis eſt ipſe Cicero et Fabius: quin id ipſum res ipſa declarat. Verùm latinam meminerit ſibi uernaculam eſſe, alterã peregrinam: quo magis illam tueatur, & quidẽ diligenter, ne corrumpatur nimio græcitatis ſtudio: ne'ue peregrinus in ſua ipſius patria uideatur, quod fœdum nimis eſſet. In Ebraica uerò, quæ ſuo quodam iure Sancta appellatur, quãquam nec admodum latè patet, nec ut apparet, ab ipſis Iudæis ſatis tenetur, tamẽ aliquam meus hic ponet operam. Cauebit tamẽ ſedulò, ne quid Iudaici erroris cũ literis cõbibatur. Quod ſi quis dicat, eadem opera aliquem uereri poſſe, ne quid ineptiarũ hauriatur ex Græcis, Homero, Euripide, et id genus alijs, aut ex latinis, Vergil. Naſone, Liuio, et cæteris: reſpõdeo, & id debere pro uiribus caueri. quanquam hic non tantũ eſt periculi, quòd Græcos autores uel bonarum artiũ gratia, uel elegantiæ & copiæ, legimus: deinde

ſterilia, quin ad cognoſcendum et agendum ſint efficacia, munere fidei. ea igitur neminem oportet ignorare. Perfectio uerò pietatis, inſigniſq; diuinarum literarum ſcientia, illorũ eſt, qui altius ſeſe attollunt per charitatem: quæ ut ignea eſt, ſic ignis modò ſublimes, quos adflat, rapit. Hæc aũt elementa tradere & docere, ac ut tradantur & doceantur orare, eorum eſt, qui alijs præſunt: ſiue parens ille ſit, ſiue præceptor, ſiue epiſcopus, ſiue princeps, aut alio magiſtratu præditus. Sed neſcio quo pacto magis priorum illorum, patris ſcilicet & præceptoris, quibus imbellis illa plebs puerorum commiſſa eſt: quos tantopere dilexit Chriſtus, ut & grauiter ſuccenſuerit ijs, qui pueros ad ſe uenire prohiberent: & Paulus, qui liberorum & familiæ ſuæ curã negligit, eum ad Dei Eccleſiæ curam ſuſcipiendam ineptum ac præpoſterum eſſe dicit. Is igitur, quicũque fuerit, à Domino audit: Diligis me pluſquã his? paſce oues meas. ad omnes enim hæc uox ſpectat, qui aliquo poteſtatis munere funguntur: niſi uni Petro dictum putamus, reliquos ſecuros agere licere. At huic perſuaſioni refragatur ſanctiſſimorum hominum cœtus, & authoritas. Vnde uerò paſcat, hauriet ex immenſo diuinarum literarum pelago, fide & charitate fretus. Hæc intelligentia diuini cultus, per ſe ipſa ſuis uiribus nititur & conſiſtit, nec noſtris eget adminiculis: imò in illa una cũcti clau-

duntur theſauri ſcientiæ & ſapientiæ, ad bene beateq; uiuendũ: omnia quæcũq; ab alijs ſunt gentibus, uel diuerſis de reb. prodita, uel etiam de religione & moribus, puerilia ſunt, atq; inſcitiæ meræ, ſi cum illa conferantur cœleſti & admirabili Chriſti ſapientia. Neq; enim contingere potuit eis, rectum, & nulla aberrantem parte curſum uitæ inſtituere, qui quis eſſet uitæ propoſitus finis, aut neſcirẽt, aut ſcire non laborarent. Hæc tã ab omni prorſus errore ſubmota eſt, quàm qui ei tradidit ac inſpirat Deus. Hæc eſt quæ ſola nos certa, ſolida, rectaq; ducit uia: quæq; omni diſcuſſa caligine, ſequẽtem ſe labi, errare, neſcire, decipi nũquã patitur. Hanc oportet eſſe reliquarum omniũ canonem, ſicut Deum ſpirituũ, et hominem reliquorum animantiũ: ut eatenus bonæ uel malè cenſeantur diſciplinæ, quatenus materia fineq; cũ hac cœleſti ſapientia congruunt, aut non congruũt. Pietati quidem nulla eſt per ſe contraria materies, nulla natura. cõtrarium appello, ꝙ cũ fide et charitate pugnat: ſiue quod has uirtutes uel tollit funditùs, uel certè minuit, importatis in animũ ſcelerib. ac flagitijs. Materiæ nãq; ex reb. ſumũtur, quas oẽs cõdidit bonus Deus: ac proinde bonas. nulli aũt bono aduerſatur pietas, quæ ad omnia utilis eſt, autore Paulo: cum ipſa boni totius ſit caput, nec ſit quicquã in nobis bonũ ſine illa. nec ꝗcquã poteſt eſſe inimicũ ei, cuius autor ſit ille idẽ, cuius ipſa

cul-

cultū et religionē ꝓfitetur, et patefacit uolūtatem. Res porrò oēs, quo melius cognoſcūtur, eo magis fo res ad cognoſcendū Deū nobis aperiūt: nēpe cauſsā ſupremā ex reb. effectis, qui eſt cognoſcendi modus captui noſtro accōmodatiſsimus. Sic ꝑueniſſe Abrahamū ad cognitionē Dei, ſcribit Philo Iudæus. Nam ex cœli luminib. et ſempiternis motib. (ut in Aſtronomia ſuperius dicebā) ex ordine ac ratiōe rerū intellexit, eſſe haud dubiè naturā ſapientiāq; aliquā, à qua iſta omnia regerētur. Ergo illā ipſam quæſiuit et coluit, abiectis ſpretisq; deorū inſanijs, quos ipſe ſibi homo erat fabricatus, ut opus ipſe ſuū adoraret. Baſilius ille magnus Moſen tradit à cognitiōe Aegyptiarū diſciplinarū ita mentē exercuiſſe, ut ad ſempiterni numinis cognitionē ꝑueniret. hac de cauſſa ſanctus uates canit, cœlos enarrare gloriā Dei, et opera manuū eius annūciare firmamentū. Itē Paulus abdita arcanaq; Dei, per aſpectabilia intelligi, Romanis affirmauit. Eqdē inimiciorē cēſeo pietati ſuperbā ignorantiā, quàm modeſtā ſciētiā: idq; uidemus paſsim uſu euenire, ubi ſit inſcitia, ibi nō admodū uigere uerā ſinceramq; pietatē. Sed his occurret Paulus, qui dicit, inflari homines atq; intumeſcere ſcientia: fateor, ſine charitate: quæ ſi adſit, ædificat, ut idem ait. Ideo nos charitatis fundamenta iecimus. Deinde in ſe deſcendet, reflectetq; oculos doctus ille uir, nec plus aliorum de ſe teſtimonijs

quàm

quàm ſuæ ipſius credet conſcientiæ. Quàm ſapienter ille, quiſquis ſit, certè Catonis dignus nomine:
Quum te aliquis laudat, iudex tuus eſſe memento:
Plus alijs de te, quàm tu tibi, credere noli.
Reputabit, quàm multa ſibi eſt conſcius, ſe neſcire quæ alij eum ſcire non dubitant, quoties allucinetur, labatur, fallatur, et à uero quàm longiſsimè diſcedat: ut non ſine grauiſsima ratione et cauſſa Socrates, quem Græciæ conſenſus ſapientiſsimum appellauit, profeſſus ſit, nihil ſe ſcire: quod placitum ingens deinde philoſophorum manus arripuit, & conſtantiſsimè tenuit. Theophraſti quidem ſententia iurè laudatur: Quæ cuncti ſciant, minimam eſſe eorum quæ ignorent portionem. Quod ſi quis excutiat ſingula, atq; ad ueri ſubtile examen reuocet, næ illæ tam elatæ criſtæ, ac ſpiritus concidēt. reperiet enim, nihil certū à nobis, excepta pietate, teneri. Nā linguæ quid aliud ſunt quàm uoces? quid autem intereſt, ſemotis diſciplinis, latinè et græcè noris, an italicè aut germanicè? Grammatica, Dialectica, Rhetorica, inſtrumenta potius ſunt artium, quàm artes propriè. Philoſophia opinionibus tota, & coniecturis uериſimilibus eſt nixa, inconſtās & incerta: ut à Lactantio non minus uerè quàm diſertè demonſtratum eſt. Cæteræ artes rebus et principijs quibuſdam hærent, quæ nuſquam ſunt. Sed neq; hæc ſigillatim exponere, eſt huius loci. Age uerò,

rò, donemus, te aliquid ſcire, certum atq; exploratum: an ignoras, hoc alieno te habere beneficio? cur tibi commodata ueſtis, facit animos? Si quid habes boni, alienum eſt: ſi quid mali, id demum tuum eſt unius. Vides te eruditum, munus Dei eſt: cui diſplices, niſi quam inde gloriam nanciſceris, in illum refers. Volo agnoſcas, cuius ſit ea uel ſapientia, uel bonitas: eiq; uni referas acceptum, quo uelut fiduciariam, uſurariam'ue poßides. Cum ſe uir doctus admirationi eſſe conſpicit, ne ſiſtat in ſe, quod eſt periculoſißimum: nec tollat ſupercilium, ut honore illo ab hominibus tributo ſibi applaudat, tanquam opera & merito ſuo conſecutus: quod eſt ſacrilegij inſtar. Quid enim habes, quod nõ acceperis? Ingenium, iudicium, memoriam & ſtudium, quibus eruditionem conſequimur, cedo nunquid non ex Deo? Quid? quod ad eam ipſam adiutus es conſtitutione corporis, non graui, nec torpida, tum etiam ualetudine, quæ Dei ſunt dona? Quid ergo docti ſupereſt proprium, quo gloriari poßit? An quia uoluit? at quàm multi uellent, ſi tam eis per Dei benignitatem liceret, quàm tibi. Itaq; inter laudationes ſui, eriget ſe uir ſapiens ad contemplationem illius ſanctæ & diuinæ ſapientiæ, ad cuius infima (ut Paulus inquit) ſumma hominis ſapientia comparata, mera eſt dementia. Veniat in mentem, ſi homines unius aſpectu guttulæ tantopere cõmouentur: quid

face-

facerent, ſi copioſiſſimũ illũ et perennẽ daretur fontẽ intueri, unde manãt uniuerſa? Tũ adoret demiſſo animo autorem bonorũ omniũ, et luminũ parentẽ: ei agat gratias, quòd munera ſua copioſius dignatus eſt ſibi quàm alijs impertiri, quodq; uoluerit ſe eſſe inſtrumentũ alicuius partis conſilij atq; operis ſui. Nã nos omnes ipſius σύνεργοι *et inſtrumẽta ſumus. Quòd ſi de futura fama ſibi aliquid promittat (quo ferè morbo laborant, q monumẽta aliqua ſtudiorũ trãſmittũt ad poſteros) ſecũ reputet, quot præclara ingenij opera et argumẽta interierint, quib. ſibi immortalitatẽ pleriq; pollicebãtur. Deinde ut famam nactus ſis, qd tibi proderit mortuo? Vtiq; non magis quàm equo, cũ uictor in Olympijs prædicatur: aut Apelli, ſi quampiam ipſius tabulã cũ admiratione nũc contẽplaremur. Quid ad Ciceronẽ uel Ariſtotelẽ redit ex tãto nomine? Quid ad alios diuerſis uirtutib. claros? Certè nihilo plus quàm ex thuris fumo et odorib. conclamato. Qui locus eſt ſanè lubricus: q, uix inuenitur, qui nõ quaſi mercedem ſuæ eruditiõis aut rerũ geſtarũ deſideret gloriã. Verùm ſi tu neglectis humanis laudib. cõſciẽtiæ tuæ uolueris ſeruire, et per illã Deo, quãto ſolidior te ac diuturnior manet gloria? Si te laudarit Deus uiuẽs uiuentẽ, præſens præſentem, immortalis immortalẽ, qui te ſemper intuetur, qui de te non ex falſo pronunciabit, ſed ex tuo ipſius teſtimonio: ea uerò ſolida & expreſſa,*

preſſa, non adumbrata erit gloria. neq; enim qui ſe ipſum commendat, is probatus eſt, inquit Paulus, ſed quem Deus commendat. Viro docto cogitãdum eſt de migratiõe ex hoc domicilio, deq; uita illa ſempiterna ſæpe multumq; meditandũ, ut familiarem ſibi mortis faciat cogitationem: quæ nihil aliud eſt pijs, quàm traiectus ad immortalitatem: ne cũ aderit, terreatur. Veniat in mẽtem iudicis illius, ad quẽ omnino, idq; breui, ueniendũ eſt, finita ſcilicet ſcena et hypocriſi uitæ: cui ſe adprobare, unicũ debet omniũ eſſe ſtudiũ. Nam cui ſe probare cupiat reus, ſi ſapiat, niſi ſuo iudici? cui athleta? cui pugil? cui omnis qui aliqd agit, de quo iudiciũ et approbationem hominũ expectat, niſi iudicibus? Poetæ olim Antimacho poema ſuũ recitãti, cũ eum oẽs præter Platonẽ auditores reliquiſſẽt, unus Plato fuit inſtar omniũ: et non erit nobis Chriſtus Dei ſapientia? magnũ eſt (inquit uetus adagiũ) athletam placuiſſe Herculi? quãto maius, Chriſtianũ placuiſſe Chriſto? cui nulla ratione magis placere poſſimus, quàm ſi eruditionẽ atq; alia Dei munera ad eius laudẽ, hominũq; utilitatẽ pferamus. Hic eſt ſtudiorũ omniũ fructus, hic ſcopus, hæc ſumma, nõ ut ad quæſtũ, aut ad præſentẽ gratiã et oſtentationẽ, aut deniq; ad delicias et uoluptates, quæ omnia fluxa caducaq; ſunt, eis abutamur. Rogãdus igitur ille eſt, à quo omnia, ut nobis quoq; eruditio noſtra proſit: ne idem accidat nobis

quod

quod uel malis medicis, ꝗ alios curant, ſe nō curant: uel tubicinib. qui alios ad præliū hortātur, ipſi non pugnant: uel candelis, quæ alijs quidem lucent, ſe ipſæ conſumūt et perdūt. Itaq; quoties ad ſtudia accedimus, ab oratione auſpicandum eſt: quod feciſſe pleroſq; homines magnos, memoriæ proditum eſt. orandumq́;, ut ſana ſint noſtra ſtudia, nemini noxia, nobis uerò & omnibus in commune ſalutaria: id quod demum aſſequemur, ſi ipſa ſtudia ad pietatem et ſacrarum literarum iudicium uelut ad Lydium lapidem fuerint exacta.

DE GRAMMATICI BIBLIOtheca, eiusque diſpoſitione.

ARduū eſt, inuidiæq; plenū, quod nunc molimur: ex toto illo diſciplinarum artiumq́; orbe, quam Græci ἐγκυκλοπαιδείαν uocant, cui primas tribuendas, quem potiſſimum in ſingulis habēdum, terendumq́; autorem Grammatico meo cenſeam, deſcribere, eiusq́; bibliothecā inſtruere. Quis enim in tanta ingeniorum uarietate omnibus placere, facereq́; ſatis queat? nō certè magis, quàm qui domū extruit in loco publico. hic Corinthiū opus uolet, ille Doricum: alius Ionicas columnas probabit, alius compoſito opere factas: erunt, quibus omnia Thuſcana, et noua placeant. Ita ſinguli inueniēt, quod reprehēdant, uel in operis genere, uel in magnitudine, uel in ſitu. Quid hic faciet uir prudens?

Digitized by Google

dens? multitudinem contemnet: paucorum quidem, ſed eius rei peritorum audiet iudicia: deinde ſuum quoq; adhibebit, atq; ad uſum omnia referet. At A- *pelles tantus pingendi artifex, ſua prætereuntium cēſuræ opera, in pergula ſubiecit.* Ita eſt: *ſed tamen ab eodē audiuit ſutor,* Ne *quid ſupra crepidam ſa peret. quo innuitur,* Apellem *nō à quouis, ſed ab ijs duntaxat, qui eius rei de qua cenſerent, peritiam haberent, cenſuram admiſiſſe.* Vere *quidem ille di- xit, felices artes fore, ſi de artibus ſoli artifices iudi- carent.* Quod *medicorum eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri, ut inquit* Horatius. Nec *nos æquos & peritos iudices refugimus, quibus inſu- per gratiam pro ſtudio et humanitate ſumus habi- turi.* Quare *iam fauentibus* Muſis, *noſtri* Gramma *tici bibliothecam hermathenis, hoc eſt, eloquenti- um atq; eruditorum libris & monumentis exorne- mus, quæ ueræ ſunt* Mercurij & Mineruæ *imagi- nes, & ſigna longè præſtantiora, quàm quæ uete- res ex ære aut etiam auro in* Academia *collocabāt.* Autorum *cuiuſq; generis, alij artes certas tradunt: alij de rebus ipſis, cauſiſq; ipſarum, & moribus: quæ quidem hac tota uniuerſitate continentur, diſ- ſerunt: alij eorundem facta, resq; geſtas tantum nar rant: alij ex his mixti, aut omnibus, aut quibuſdam ſunt, quibus propter uarietatem proprium locum et claſſem aſsignare uoluimus: ita ut in ſumma qua-*

 tuor

tuor ſint autorum genera, à quib. totius uniuerſita tis ſapientiæq; partes explicantur. Nec me latet, po tuiſſe me iiſdē ueſtigijs inſiſtere, quæ quidā in uni uerſitate explicāda ſecuti ſunt, ut partim ad natu rā, partim ad prudētiā, partim ad ſapientiā, omnes autores reuocaremus, ſed nobis quoq; puto fas eſſe, hunc qui ad bibliothecā in certas autorū claſſes di ſponendā cōmodior eſt uiſus, ordinem amplecti, et retinere. Prima igitur claßis, ſeptem illas liberales, tātopere decātatas, artes cōtinebit. In primo huius claßis ordine Grāmatici collocādi ſunt, ueteres & noui, Latini et Græci: quos ſi oēs non habuerit Grā maticus, non reprehendā, modò optimos ex omnib. delectosq; habeat: id quòd de omnib. reliquis auto rū generib. eſt intelligendū. Neq; enim Grāmaticus talē bibliothecā poteſt inſtruere, qualem uel Ptole mæus Philadelphus in Aegypto: uel Eumenus Atta li filius apud Pergamenos, uel Piſiſtratus apud A thenienſes inſtruxerūt: aut qualē habuit Ariſtote les: aut cuiuſmodi Romæ fuit, atq; hodie eſt in Va ticano: aut deniq; quantā Laurentius Medices Flo rentiæ: Federicus Feltrius, ſiue, ut Bembus uocat, Feretrius, Vrbinatum Dux, eiuſq; filius Guido Vbaldus, collegerunt: ſed neque talem, quæ cum Fuggeriana bibliotheca, ſeu mundo potius, poſſit comparari, quam quidem uideo facile omnes (ſi, ut cœperunt, perrexerint illam augere) Europæ bi-

bliothe-

Digitized by Google

liothecas poſſe numero et bonitate librorũ ſuperare. Has aũt uniuerſas, et plura quoq;, cõplectitur Cõradi Geſneri Tigurni, philoſophi et medici doctiſſimi Bibliotheca, quatuor partib. conſtans: opus curioſum et admirandũ. Noſter igitur Grammaticus, quia omnes undiq; colligere non poteſt (neq; enim eius ſunt tantæ copiæ) præſtãtiſſimos, ut dixi, quos poterit, in ſuã bibliothecã collocabit. Atq; ex Grãmaticis ueteribus, Varronẽ de lingua Latina, & de Analogia: Sex. Pompeiũ de uerborũ ueterũ ſignificatiõe, unà cũ Nonio Marcello de ꝓprietate ſermonũ. Hos ſequetur Diomedes, Soſipater Chariſius, Priſcianus, Agretius, Caper, Sergius, Donatus, Fortunatianus, Probus, aliiq; minores. Sed quoniã ſunt q non totam, ſed partẽ aliquã Grammaticæ tantũ ſibi tractãdã ſumpſerũt, Terẽtianus et Seruius de uariis generib. metrorũ, Tortelius de Ortographia, Gilbertus Cognatus de Orthographia atq; etymologia, ſuperiorib. addi debẽt. nec Iouiani Põtani de aſpiratione libri duo eruditiſſimi, ſunt cõtẽnẽdi. Iã recẽtiores aliquot indicabo: inter quos Latini ſermonis puritatẽ, ipſamq; Romanæ linguæ ciuitatẽ, quaſi alter Camillus nobis reſtituit Laurent. Valla Rom. criticus qdẽ acerrimus: ſed ita oportuit in tãta barbarie, prauaq; cõſuetudine. Floridus Sabinus Vallæ ueſtigia ſecutus, multa habet utilia, obſeruata & explicata. Cur. Lãcilotus, uir antiquarius, literaturã nõ uulgarem

garem profitetur: multa enim non minus curioſe quàm docte conquiſita habet. Antonius Mancinellus *multa congeßit.* Ioannes Scopa Partenopæus, Grammaticus *diligentißimus, nullam* Grammaticæ *partem omiſit, præter eam quæ de uerſibus præcipit: cætera omnia cõuertit et cumulauit.* Proximus *huic diligentia & acumine* Auguſtinus Saturnius *in ſuo* Mercurio *maiore. non tamẽ habet tã multa: ſed quæ habet, ſunt exquiſita.* Nicolaus Perottus, *et* Aldus Manutius, *ſimiles ferè ſunt in* Grammaticis *præceptis tradẽdis: complexi etiam proſodiam, metricamq; rationem, ſed ortographiam non attigerũt. Cauſſas autem rationesq; è media philoſophia repetitas, quibus omnia penè quæ ſunt in* Grammatica *roborantur,* Iulius Cæſar Scaliger *hoc tempore inueſtigauit, & tradidit ijs libris qui de cauſſis linguæ* Latinæ *inſcripti ſunt. Noſtro* Grãmatico *etiam* Franciſcus Priſcianenſis *habendus erit: qui de* Grammatica *noſtrate populari lingua cum exẽplis latinis non ineptè ſcripſit.* Habent *ſuum* Nebriſſenſem Hiſpani, Deſpauterium Galli, Thomam Linacrum Angli, *de quo alio loco à nobis dictũ eſt, & dicetur infra.* Germania *aliquot, mea quidem ſententia, & diligentes & commodos habet:* Melanchthonem *in primis, deinde* Suſembrotum, Micyllũ, Riuiũ. *Sunt et alij tam ex noſtra* Italia, *quàm ex alijs gentibus penè innumerabiles: ſed nos, ut di-*

xi,

xi, præcipuos numeramus. Sequũtur Græci, in quibus excellunt ex ueteribus qui extant, Apollonius & Herodianus: ex nouis Theodorus Gaza, & Conſtantinus Laſcharis, qui primi poſt euerſionem imperij literas græcas in Italiam, mox in Gallias attulerunt. Hos alij pleriq; ſecuti, de Grammatica Græca libros conſcripſerunt: quorum princeps eſt Vrbanus. alij ſunt breuiores, Oecolampadius, Othmarus Luſcinius, Melanchthon, Ceporinus, & alij Germani. ſunt etiam Clenardi Galli commodiſsimæ inſtitutiones. Et quoniam ad Grammaticam etiam pertinẽt linguæ Latinæ obſeruationes uariæ, et lexica, in hac quoq; Grammaticorum claſſe ſuo ordine habebit collocatas, Nizolij in Cicerone obſeruationes, Roberti Stephani Theſaurum, Doleti cõmentariorum linguæ Latinæ partes ſiue uolumina duo, Calepinum: & ſi qua alia ſunt in hoc genere optima. In Græcis Phauorinum, Suidã, Heſychium, & Pollucem: itemq; Budæi græcæ linguæ commentarios, & Græcolatinum lexicon à Criſpino editũ: nam hic copia reliquos omnes ſuperat. Sed quoniam fieri poßit, ut ab alio pleniora & copioſiora edantur, illa omni tempore cautio erit, ut poſtrema & cumulatiora conquirat. Grammaticos ſequetur altera quaſi decuria Dialecticorum: in qua primum locum occupabit Organum Ariſtotelis. In latinis Bo..hus, Laurentius Valla, Georgius Trape-

xontius, Rodolphus Agricola, Martinus Borrhaus de cenſura ueri: et qui poſt hos optimè ſcripſerunt, Ioachimus Perionius, Ioan Sturmius, et Petrus Ramus, locum habebunt. Hos ſequentur Rhetores: Ariſtoteles primũ, qui nõminus acutè hæc quàm cætera uidit, et excoluit. cuius ad Theodectẽ libros tres abſolutiſsimos, et ad Alexandrũ non ſpernendũ opus, habemus: deinde Cicero, quo nemo unquam tot tantaq́; adiumẽta in dicẽdi artẽ importauit. Poſt Ciceronem ſequetur Quintilianus, qui nobis ueterum penè innumerabiliũ Rhetorũ ſentẽtias conſeruauit. Hermogenes multa habet præclara de ſtatib. de inuẽtione, et orationis ideis ſiue formis. Dionyſij quoque Halicarnaſſei quædã in hoc genere ſcripta præclara extãt. Sunt etiã ex nouis, qui quaſdam eius artis tractandas ſibi ſumpſerũt. in eisq́; excellũt maximè: Strebeus de collocatiõe oratoria: de numeris oratorijs, Iouita Rapitius. Ludouici Viuis de rationẽ dicẽdi tres libri, et unus de cõſultatione, utiles ſunt cùm alijs, tũ eã ob cauſſam, quòd artẽ ad omne dicẽdi genus accõmodauit. Prodibunt breui Antonij Lulli Balearis, de inuentione et elocutione libri ſeptem, quos de Oratione inſcripſit: in quib. Hermogenis doctrina diligẽter explicatur. Hactenus autores collocauimus earũ artiũ, quæ in ſermone uerſantur. Iã Mathematicorũ ordo ſequitur: in quib. primum ſibi locũ uendicat Arithmetica, in qua ex ueteribus

ribus Boethus ſolus ſupereſt: ex nouis, Iordanus, Hieronymus Cardanus, cuius opus ars magna uocatur: Gēma Phryſius: et qui omniū elegantiſsimè ſcripſit, Tōſtallus. Ex Græcis ſuperſunt Diophāti libri duo cū ſcholijs Max. Planudis: item Nicandri Geraſeni libri totidem, cū Aſclepij Tralliani cōmentarijs. In Geometria ſimul & Arithmetica, Euclides facilè princeps. Archimedes Syracuſius nuꝑ inuētus eſt: qui quāti nominis fuerit, uel illud oſtendit, quòd in expugnatiōe Syracuſarū Marcellus, ne quis Archimedē uiolaret interdixit. ex recētiorib. Petrus Apianus, Iordanus, Auicula, Orōtius. Ex Geometria quaſi germē ꝓdijt ὀπτική: in qua habemus Alcabitiū, Carolū Bouillū, Vitelliū Italū, et Durerū Germanū. Sunt et aliæ quæ Geometriæ quaſi ſubijciūtur, ut Architectura, in qua Vitruuiū ſcriptorē cùm diligentem, tum maximè eruditum, cum utiliſsimis Philandri annotationibus habemus: & ex recentioribus, Leonem Albertū, qui et de pingendi & fingendi arte, quæ ſtatuaria dicitur, diligēter ſcripſit. nec minus diligenter Pomponius Gauricus, itēꝗ; Sebaſtianus Serlius: ſed hic Italica lingua. Et quoniam ad hūc quoq; ordinē pertinent, quæ de pōderibus et mēſuris ſcripta ſunt, Georgius Agricola, Budæus et Glareanus de Aſſe, his addēda ſunt: nec nō etiā Geographi et Coſmographi, quorū princeps Ptolemæus Alexādrinus: Strabo, et Pōponius Mela, et Solinus

tantum Geographi ſunt. De Coſmographia, quæ ex Geometria & Aſtronomia mixta eſt, hoc tempore ſcripſerunt Monſterus, Orontius, Appianus, Gemma Phryſius, Ioachimus Fortius, Maurolycus, Glareanus. Sed hi totum orbem terræ ſibi propoſuerunt: alij partem aliquam illuſtrandam ſuſceperũt, uel Aſiam, uel Africam, uel Europam: alij harum partes aliquas, uelut Græciam, aut Italiam: alij certas regiones, in his minoresq́; et urbes quaſdam inſigniores: qui etiam in hunc ordinem redigi poſſunt. Quinetiam ad exornandam bibliothecã, pertinẽt harum omnium tabulæ pictæ uniuerſales, & ſingularium regionum & inſularum, quotquot haberi poßint: ut non ſolum uoce explicare, uerùm etiam digito, et radio ſiue uirga eas demõſtrare poſſit. Geometris ſuccedunt Muſici, Cleomedes, Boethus, Cenſorinus, Glareanus. In uniuerſa Aſtronomia Ptolemæus excellit. De Sphæra, Globo, Annulo, Io. de Sacro Buſto, Gemma Phryſius; de annulo preclarè Io. Schonerus. Sunt & alij uarij de iiſdem reb. multiq́; libelli, ex quibus meliores deligendi erũt. In Aſtrologia, quæ ex aſtris rerum futurarum indicia colligit, idem Ptolemæus, atq; (ut Arabes omittam) Iulius Firmicus latinè ſcripſit, & Iouianus Pontanus in centum ſententias Ptolemæi, & in ſuis libris de rebus cœleſtibus elegantißimis: Cardanusq́; nonnulla. De præcipuis autem diuinationum

num generibus, utiliter ſcripſit hoc tempore Gaſparus Peucerus. Quod ſi eandem uerſibus aſtrictam habere lubet, Manilio nihil perfectius. Higinus etiam Auguſti libertus, antiquitatis gratia adiūgi debet. Pontani Vrania, id eſt de ſtellis, pulcherrima eſt. Haſce ſeptem artes, omnes liberales, Martianus Capella de nuptijs Philologiæ mirifica breuitate cōplexus eſt. Prolixior eſt Georgius Valla, ſed non minus utilis. Atque hi autores primam Grammatici claſſem explebunt, & bibliothecam exornabunt. In ſecunda uerò claſſe, in qua propriè autores rerum collocauimus, ut eſſet diſcrimen inter eos qui ſeptem illas artes tradunt, & eos qui maiora quædam ſuſceperunt, propter quæ illæ artes inuentæ ſunt, ut eſſent tanquam eorum inſtrumenta quædā: etſi philoſophiæ ambitu & illæ & hæc continentur. In hac igitur Phyſicos, Medicos, & eos qui de moribus diſſeruerunt (in quibus, qui de re familiari, de re ruſtica, & de republica & militari ſcripſerunt, intelligendi ſunt) itemq; Theologos omnium præſtantiſſimos reponimus. Hic Philoſophia uniuerſa ſeſe profert: in qua Plato primùm, deinde eius auditor Ariſtoteles, principes extiterunt. In illo copia atq; ubertas maior orationis: in hoc methodus, & apertior tractandi uia. ille diuina ad homines tranſtulit: hic humano pede omnia metitur. Vterq; magnus, ſed ille diuinior uel tota (ex-

ceptis paucis) erudita antiquitate teste. Xenophõ multa de morib. habet dulciſſimè ſcripta. Theophraſtus partes aliquas phyſicæ eſt perſecutus in libris de Stirpibus: et materiẽ medicã Dioſcorides. Cõradi quidẽ Geſneri de Animalibus libri abſolutiſſimi, et laboris, et lectionis, et eruditiõis, et induſtriè ppè immẽſæ. Cicero nõnulla quidẽ phyſica, ſed multo plura de morib. tractauit in ſuis Dialogis, quos ad Platonis imitationẽ elaborauit. Seneca quoq;, Stoicus tamen, totus ferè moralis eſt, præterquã in phyſicis quæſtionib. Medicina eſt ipſa tanquã phyſicæ praxis et manus: in qua duo clariſſima lumina extiterũt: Hippocrates eius artis pater, et Galenus Hippocratis interpres lõgè doctiſſimus. breuiores ſunt (ut et hic Arabes omittã) Aetius, Aegineta, Oribaſius, et Aretæus. Vnus eſt, q eã Latinis literis breuiſſimè cõplexus eſt, Cornelius Celſus: cuius autoritas grauis eſt etiã in ratione loquẽdi, utpote hominis Romani. Poſt Albertũ Magnũ, Georgius Agricola noſtra ætate de natura foſſiliũ omniũ, id eſt eorũ quæ ex terræ quaſi uiſcerib. effodiũtur, doctè ſimul et elegãter ſcripſit. Agricultura qdẽ, etſi ex alijs artib. et doctrinis multa ſumit, tamẽ nos Ariſtotelẽ et Xenophontẽ ſecuti, rei domeſticæ et familiari eã nunc ſubijcimus. Eius ſcriptores Cato, Varro, Vergilius, Collumella, Palladius: ex nouis Petrus Creſcentius. Ex Græcis Heſiodus: et Cõſtãtinus quidã Cæſar ex uarijs ſcriptorib. libros uiginti ſelegit, Geoponica

appellãtur. Ad mores uerò etiã ptinẽt leges, et totũ ius ciuile, quod Inſtitutionũ libris quatuor, quinquaginta Digeſtorũ ſiue Pandectarũ, et paucis alijs (nihil enim de interpretib. iuris loquor) hodie cõtinetur: in quib. neſcias diligentia'ne an grauitas, iuris prudẽtia an æquitas, ſcientia rerũ an orationis proprietas præſtet. Rei præterea militaris ſcientia, ei parti philoſophiæ moralis, quæ reſpu. inſtituit, ſubijcitur. nã non ſolũ legib. contineri debet ciuitas, uerũ etiã armis et belli artib. muniri. Itaq; de re militari habemus Vegetiũ et Frontinũ: ex nouis Iacobũ Purlilienſem, Robertũ Valturium, et Modeſtinũ de uocabulis rei militaris: ex Græcis Aelianum, nuper à Frãciſco Robertello de Græcis cõuerſum, et nouis imaginib. acierũ diſpoſitionẽ pulchrè repræſentãtibus illuſtratũ. Itẽ Arriũ Menandrum et Polybiũ, de caſtrametandi ratione: et Polyænum, qui Strategemata ſcripſit. Superſunt grauiſsimi omnium Theologi, q de Deo rebusq; diuinis et morib. qui Dei cultorẽ et religioſum decẽt, explicãt. In his primas tenẽt, quæ honoris cauſſa, Biblia, et ueteris fœderis nomine appellãtur. Deinde id q nouũ fœdus dicitur, in quo Chriſti doctrina illa beatiſsima Euãgelij titulo ornata traditur. In hoc numero, ſed longè illis ſacris inferiores, minorisq; autoritatis ſunt, quos Doctores appellãt; hiq; penè innumerabiles: ſed præcipui ex ueterib. Irenæus, Origenes, Baſilius Gregor.

Nazian-

Nazianzenus et Nyſſenus, Ioannes Chryſoſtomus, Græci: Tertullianus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Latini, copioſi ſunt ſcriptores, & cum primis eruditi: ex quibus, ſi totos non poßit, ſelectos tamen quoſdam libellos & partes habebit. De nouis nihil mihi puto hic eſſe dicẽdum, ad huius calamitoſi ſeculi uitandam inuidiam. Ex ijs qui propius ad ſacros illos accedunt, ij optimi habẽdi ſunt: reliqui deteriores. Qui in actionibus uarijs ac multiplicibus mortalium explicãdis tractandisq́; ſuam induſtriam tempusq́; poſuerunt, ij in quartam claſſem ſunt referendi. In his ſunt ordines tres: hiſtoricorum primus, ſecundus oratorum, tertius poetarũ. Hiſtorici Latini Saluſtius, Cæſar, Liuius, Velleius Paterculus, Iuſtinus, Valerij Maximi exemplorum libri, atq; hi ſunt uetuſtiores: Cornelius uerò Tacitus, Florus, Suetonius, Paulus Oroſius, Curtius, intermedij: noui ſunt Blondus, Sabellicus, Nauclerus, Petrus Bembus, Paulus Iouius, Paulus Aemylius, qui res Gallorum explicauit. Ioã. Sleidanus eccleſiaſticam huius ætatis hiſtoriam diligenter concinnauit, uitas Pontificum Platina, Poetas illuſtres & Oratores Petrus Crinitus, Poetas etiam accuratißimè Lilius Gyraldus, grammaticos et rhethores Suetonius Tranquillus. Hiſtorici græci Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus Siculus, Polybius, Pauſanias, Dionyſius Halicarnaßeus,

Dion,

Dion, Ioſephus, Euſebij, Nicephori & aliorum Ecclesiaſtica hiſtoria: Plutarchi illuſtres uiri, & Aemylij Probi. Diogenis Laertij, uitæ philoſophorũ, Philoſtrati Sophiſtarum. His Ebræos, Caldæos & Aegyptios adiunget: inter quos Moſes uetuſtiſsimus omnium in ſacris libris primis habetur. Beroſus uetuſtiſsimus & ipſe, ſed integer non eſt: aut potius exiguum fragmentum eſt. Sed quando non ſolum ueræ, ſed etiam fictæ & fabuloſæ ſunt narrationes, Ouidij Metamorphoſes, Apulei Aſinum aureum, Fulgentium, et Lilium Ferrarienſem de Dijs gentium, & Gilberti Cognati narrationum libros Latinos, Lucianum, et Cornutum, et Palæphatum, fabularum interpretes: et Eſopũ illum Phrygium, græcos, atq; alios nõnullos, tam græcos quàm latinos, aliquo tamen dignabitur ſuæ bibliothecæ loco. Secundus ordo capit Oratores: ex quibus latinis unus Cicero diuino beneficio ſeruatus eſt, in quo omnes ſuas uires eloquentia oſtendere uoluit: unus quidem, ſed qui omnium inſtar eſſe poſsit. Ex græcis Demoſthenes clariſsimus eſt, quem noſter eſt imitatus, eo nulla uirtute oratoris inferior, in multis uerò etiam ſuperior, Iſocrates iucunditate numerorum & figurarum ſuauis. Sunt & alij non mali, ex Theologis præſertim, ut Gregorius Nyſſenus, & alter Gregorius Nazianzenus. In oratoribus etiam, qui bene epiſtolas ſcripſerunt, compre-

hendo

Digitized by Google

bendo. in his, ut in cæteris generibus, Cicero pene ſolus dignus eſt legi. poſt hunc Plinius, deinde Politianus. Sed his duobus puriores ſunt, & meliores, Bembus, Sadoletus, Longolius, & Aonius Palearius. Eraſmus ubiq; ſui ſimilis, dulcis et iucundus. Sunt etiam Laconicæ, cùm aliorum, tum Gilberti Cognati, ſanè elegantes et acutæ: quanquam ſi cui uideatur, poſſunt Epiſtolæ ad mixtum illud & uarium genus referri. Poſtremi ordinis erũt poetæ: Lucretius, Virgilius, uatum Romanorum lux: Lucanus, Valerij Flacci Argonautica, Statij Thebais, Silius Italicus, Claudianus, heroici. Deinde comici, Plautus, et Plauto elegantior Terentius. hos ſequuntur Tragici, in quibus nobis unus Seneca ſupereſt: abundè audax, ſublimis, elatus, ac tragico omnino ſono par. Satyricos duos habemus, Iuuenalem et Perſiũ: quanquam Horatij quoq; ſermones inter ſatyras numerantur. In elegia tres ſunt, ijq; perfecti, Tibullus, Propertius, Ouidius. In Epigrammatis, C. Valerius Catullus: & eo longè inferior, etſi copioſior, Martialis. ſatis argutus eſt Auſonius Gallus. in Lyricis Horatius, & idem Catullus. Dedit hæc etiam ætas poetas eum quouis ueterum conferendos: argumento etiam ſuperiores. Horum in numero ſunt, Baptiſta Mãtuanus in Parthenicis Marianis, Eobanus Heſſus: Hieronymus Vida Cremonenſis, in Chriſtiade ſua, et alijs operibus aliquot: Actius Sincerus Sannazarius

nazarius Neapolitanus, de partu Virginis: Aonius Palearius de immortalitate animorum, quem Chriſtianum Lucretium ſoleo nominare. Eadem ueſtigia ſequitur Scipio Capitius de principijs rerũ : naturalium, & de uate maximo: et Palingenius in Zodiaco ſuo diuino: Baſilius Zãchus in hortis Sophiæ, roſis immortalibus refertis. Flaminij carminibus, Georgijq; Fabricij hymnis et Odis ad Deũ omnipotentẽ, et Brunonis Seidelij elegijs, odis, et alijs, nihil diuinius, nihil in eo genere perfectius. Marullus tẽpore his omnibus antiquior, & Iouianus Pontanus: ille Catulli ſimilis, hic Vergilij, præſertim in Hortis Heſperidum. Strozzæ duo, pater & filius, Horatium ſunt imitati. Iam Græcos ſubijciam: inter quos princeps Homerus, fons ingeniorum meritò appellatus: deinde Heſiodus & Theocritus: Sophoclis itẽ, Euripidis, Aeſchyliq; tragœdiæ: Ariſtophanis comœdiæ: Pindari lyrici, atq; Epigrammatum opus inſigne & copioſum ex uarijs autoribus collectum. Sunt & alij, præſertim latini. nam, Scribimus indocti, doctiq; poemata paßim : uerùm nos in copia delectum habuimus. Sicui tamen uideatur, totidem fieri claſſes poßint poetarum, quot initio fecimus autorũ: ut alij artem aliquam uerſibus tradant, alij de rebus ipſis philoſophentur : alij res geſtas, actionesq; perſequantur: alij in uarietate quadam doctrinæ uerſentur. Neq; enim ullo in genere

deeſſe

deeſſe poſſunt poetæ; quibus hæc quatuor claſſes exornentur. Quod ſi quis faceret, illa eſſet autorũ prima partitio, in eos qui ſoluta oratione, & eos qui pedeſtri & certis numeris uincta, ſuas cogitationes literis mandaſſent: & utrumq; horum rurſus in illa quatuor quæ numerauimus. Quarta & poſtrema claßis eos continebit, qui non uno in genere, ſed in uaria multipliciq; lectione uerſantur. In his primum locum iure ſuo ſibi uendicat Plinius Secundus Nouocomenſis. Hic enim uno in opere illo pulcherrimo de Naturali hiſtoria Grammaticus eſt, Dialecticus eſt, Rhetor eſt, Arithmeticus eſt, Geometra, Muſicus, Aſtronomus, Coſmographus, Geographus, Ethicus, Phyſicus, Medicus, Hiſtoricus, Architectus, Statuarius, Pictor, Agricola: et ut uno uerbo dicam, omnia: ut qui hunc habet, nõ iam autorem unum habere, ſed iuſtam bibliothecã tantis rerum ac uerborum diuitijs, uideatur. Græcia ipſa, omnium alioqui artium & doctrinarum, ut putatur, parens, unum non habet, quem Plinio noſtro opponat. In hac quoq; claſſe erunt A. Gellij Atticæ noctes, Macrobij Saturnaliorum libri, Iſidori etymologicon, Cælij Rhodigini Lectiones illæ antiquæ, Alexandri Neapolitani Geniales dies, Pontani Dialogi uarij, Politianus, Raphaelis item Volaterrani commentarij rerum Vrbanarum, Georgius Valla, Hieronymi Cardani libri de Subtilitate ma-

gna

gnæ et reconditæ doctrinæ: quos ſequuntur libri de uarietate rerum. Ioachimi Fortij opera uaria. Deſ. Eraſmi Chiliades, ſeu adagiorum opus: cuius utra ſit maior, feſtiuitas an utilitas, non planè ſcio. nec Ludouici Viuis monumenta, nec Textoris officina, nec uariæ Petri Victorij lectiones, nec Polydorus Vergilius de inuentoribus rerũ, nec Mylæus de uniuerſitatis hiſtoria, ſunt ab hac claſſe excludendi. Magna in Auguſtino de Ciuitate Dei, magna in Lactãtio Firmiano uarietas: magna item ex græcis in Athenæi Dipnoſophiſtarũ libris, in Pauſania, in Aeliano, in Plutarchi moralibus, itemq; in Clemẽte Alexãdrino, præſertim in Stromatum libris, item in Euſebio de Euangelica præparatione. Exiſtimo etiam ad eandem uarietatem Apophthegmatum opera pertinere: cuiuſmodi ſunt quæ antea Eraſmus, modò multo plura Conradus Lycoſthenes collegit. Hæc ſunt Grammatici inſtrumenta, hæc arma, ac domus ornamenta. Horum ſcientia inſtructus eſſe debet, accedente & ingenij acumine, et memoriæ firmitate, limato iudicio, ſtudio perpetuo, indefeſſa docendi cura. Hi igitur libri erunt, ex pulcherrimis & emendatiſſimis comparandi: decenter & ad perpetuitatem ornandi: ſuis ſinguli locis & ſedibus collocandi, & tegendi, aut includendi, ne puluere & ſitu corrumpantur: ita tamen, ut aperiri, quandocunq; libebit, facilè poſſint. neq; tamen,

Digitized by Google

quòd certos autores indicauimus, idcirco ab aliorũ lectione, ſi facultas adſit, arcemus. Quanquam Seueri atq; Antonini Imperatorũ aurea illa uerba, quæ Vlpianus Pandectarum libro primo citat de Officio proconſulis, meo quoq; Grammatico in autoribus erunt ſeruãda: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοθεν, οὔτε παρὰ πάντων: Neq; omnia, neq; quouis tempore, ſiue paſsim, neq; ab omnibus: ſed cum delectu & iudicio omnia. Atq; ex ijs omnibus, in exemplum bene dicendi eloquentiſsimos: ad mores formandos, uitãq; inſtituendam, ſanctiſsimos: ad artes & ſcientiam comparandam, eruditiſsimos ſibi proponet.

PRIMI LIBRI FINIS.

CAELII SECVNDI CVR. SCHOLAE, ſiue de perfecto Grammatico liber ſecundus.

Quod ſit incipiendi ſcholam moderari tempus.

HVCVSQVE meus ille in tenebris et ſolitudine delituit. Nũc hac magnifica ſupellectile inſtructam domum patefaciat: hoc inſigni ornatu prodeat in lucem. Ac ueluti uirgo, quæ ante matrimonij tempus domi detinetur, inſtituitur, comitur: ubi uerò adoleuit, uiroq; in manum tradenda eſt, monilibus, inauribus, armillis, mitra, picturatiſq; ueſtib. adornata,

nata,ſpectãda producitur,cẽſuræq; exponitur ſpectantiũ: nõ ſecus hic meus faciet,poſteaquã ſecretis ſe ſtudijs ſatis expoliuerit,ludũ aperiet.Huic ego annos nõ definio,cũ omnia uirtute ac ſapiẽtia metiar. Suas quiſq; uires cõſulat,et uerſet diu q̃d ferre recuſent,quid ualeãt humeri:ut rectiſsimè monet Horatius.Modus in omnib.tenẽdus: ut neq; præproperè ad contẽptionem et impudentiã inanis cũ ducat fiducia:nec rurſus differendũ eſt tyrociniũ in ſenectutẽ. Nam quotidie metus creſcit,maiusq́; fit indies quod auſuri ſumus:& dũ deliberamus quãdo incipiẽdum ſit,incipere iã ſerũ eſt.Quare fructũ ſtudiorũ uiridem et adhuc dulcẽ promi decet, dũ et uenia et ſpes eſt,et paratus fauor,et audere nõ dedecet:et ſi quid fortè deſit operi,ſupplet ætas. Et certè quantũlibet ſecreta ſtudia cõtulerint, eſt tamẽ proprius quidã docendi profectus:alia lux,alia ueri diſcriminis facies:plusq́; ſi ſepares,uſus ſine doctrina,quàm citra uſum doctrina ualet.Audendũ igitur.quod ſi nõdũ ita exactè in diſciplinis omnib.uerſatus ſis:ſi nõ tantũ opũ congeſſerit ſedulitas, ut quoduis propoſitũ opus,quæſtionemúe quaſi Delius aliquis,explicare poſsis: ea doce,quæ noueris, quæq́; tibi meditata explorataq́; ſunt.Interea in reliquis te exerce:ad ea te para, ea cogita: ſic te ſenties plus profeciſſe, quàm ſi fugiens lucem, magno te domi labore confeciſſes.Cæterùm,illũ quem iuuenẽ,tenerisq; adhuc uirib.nitẽtem in ludũ deduximus,et incipere quàm

maximè facili ac fauorabili prouincia uelim (ferarũ uti catuli molliore præda ſaginãtur) & non utique ab hoc initio continuare operam, & ingenio adhuc alendo callum inducere: ſed iam ſcientẽ quid ſit pugna, & in quam rem ſtudendum ſit, refici ac renouari. Sic tyrocinij metum, dum facilius eſt audere, tranſierit: nec audendi facilitatem uſq; ad contemptionem operis adduxerit. Vſus eſt hac ratione M. Tullius, in orandi facultate: & cum iam clarum meruiſſet inter patronos, qui tum erant, nomen, in Aſiam nauigauit: ſeq; & alijs ſine dubio eloquentiæ & ſapientiæ magiſtris, nedum Moloni Rhodio, rurſus reformandum, ac uelut recoquendum dedit. Sic Pythagoras Memphiticos uates: ſic Plato Aegyptum, & Architam Tarẽtinum, eandemq́; oram Italiæ quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſsimè peragrauit: ut qui Athenis magiſter erat, cuiusq; doctrinam gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atq; diſcipulus, malens aliena honeſtè diſcere (ut à Hieronymo ſcribitur) quàm ſua impudenter ingerere. Idem noſtra memoria plerique fecerunt: quos tametſi inuidiæ declinandæ gratia ſilentio prætereo, latêre tamen tanta lumina nõ poſſunt. Soli neq; indice, neq; alieno lumine opus eſt, ut cõſpiciatur: ſic his haud opus eſt noſtro ſtridenti raucoq; præconio, ſua ſe tuba ac luce quotidie produ͂t. Tũ enim dignum operæ precium uenit,

cum

cum inter ſe congruunt præcepta & experimẽta.

QVID AGENDVM SIT REIP. IN deligendo præceptore optimo, dele-ctoque retinendo.

FElicem Rempub. *et ciuitatem, quæ qualẽ modo deſcripſimus, præceptorem* Dei *munere reperiet.* Atq; *in hoc maxime illi intendendũ eſt: quãdoquidem quib. in ciuitatibus rei huius cura prætermittitur, aut negligitur, magnum ex eo* Reſpub. *detrimentum capit.* Et *quoniam ciuitas naturalis ſocietas eſt, omniumq; ſocietatum præſtantiſsima atque optima, unus etiam totius ciuitatis finis ſit oportet.* Quod *ſi finis unus omnibus propoſitus eſt, profectò una etiam eademq; omnium diſciplina ſit, cuius cura & diligentia ſit publica, neceſſe eſt, non priuata: quemadmodum in pleriſq; locis fit, ubi nullus publicæ diſciplinæ curam gerit, ſed ſui cuiq; curæ ſunt liberi: priuatimq; propriam artem, quam cuiq; uideatur, docent.* At *rerum communium cõmunis etiam cura eſſe debet: nec quiſquam ciuis ſuũ ſe, ſuiq; iuris eſſe, ſed* Reipub. *omnes exiſtimare debent: quippe cum omnes in ciuitatis parte numerentur: & cuiq; parti à natura tributum ſit, ut uniuerſo conſulat.* In *quo* Lacedæmoniorum *laudanda eſt prudentia, qui de puerorum diſciplina uehementiſsimè, idq; publicè, laborabant.* Ergo *duo quædã ab his qui* Rempub. *gerunt, exigo: delectum magi-*

ſtri, & præmij pro merito eius conſtitutionem. Nã ferè fit, ut ad quorundam commendationem, quemuis ludo præficiamus: ſæpe indoctum, interdum & moribus haud ſatis probatum: non huc ſpectantes, ut rei longè chariſsimæ, noſtris liberis conſulamus, ſed ut unius famelici uentriculo proſpiciamus: adcuratius circumſpicientes, cui committamus unum equum, aut canem uenatorem, quàm cui credamus totius ciuitatis ſobolem, paruam quidem illam (ut uidetur) ſed in qua tanquam in ſeminario Reip. Senatores, Cõſules, Doctores, Oratores, Epiſcopi, Duces, & Reges adoleſcunt. Iam ſi quem nacti fuerint dignum ea prouincia, nulla habetur hominis ratio: neque pilo fit pluris, quàm quiuis alius è plebe: immò malunt pleriq; bellum compotorem, quàm doctum ac uigilantem pueritiæ moderatorem. Res (inquit Satyricus) nulla minoris Conſtabit patri, quàm filius. Non ab re fortaſſe fuerit hic meminiſſe diarij, quod olim Cratetis nomine circumferebatur, in hunc modum: Ponito coquo minas decem, medico drachmam, aſſentatori talenta quinq;, meretrici talentum, philoſopho triobolum. At, quid addas liberorum præceptori, niſi teruncium? Quanquam arbitror his philoſophi nomine, ſignari præceptorem. Ariſtippum, cum quidam diues numis, ſed mentis inops, rogaret, quanti ſuũ uellet filium erudire? atque ille, quingentis drachmis,

reſpondiſſet: Immenſum (inquit) poſtulas. iſta enim ſumma ſeruum mercari licebit. Tum philoſophus perquàm lepidè: At nunc (inquit) pro uno duos es habiturus, & frugi filium, & philoſophũ, filij tui doctorem. Noui ego ciuitates non in poſtremis celebres, ubi profeſſores eruditi non inueniebant, qui uel gratis audire dignarentur. Quin & illud obſeruatum eſt mihi, uix unquam euenire, ut fidelis pueritiæ moderator operæprecium ferat ex ſuis diſcipulis: cum norim multos corruptores, hoc eſt, qui non minus malè de ſtudijs illorũ meriti ſint, quàm de moribus, hoc quæſtu magnificè locupletatos. Sanè id ſiue fato quodam fit, ſiue hominũ inſcitia, ſiue potius ingrati animi uitio: ut iam non temerè uideatur ab Auſonio dictum,

Felix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit unquam,
  Nec quiſquam eſt felix nomine Grammaticus:
Sed ſi quis felix præter fatum extitit unquam,
  Is demum exceßit Grammaticos canonas.

Primùm igitur cui hæc cura incumbit, ex omnium ciuium ſuorum numero uirum deligat, qui diu multũq; non infeliciter in bonis literis uerſatus ſit: piũ, uigilãtẽ, induſtriũ, bonæq; fidei. Quod ſi talẽ inter ſuos ciues nõ inueniat, aut inuẽtus nolit ſubire munus, accerſendus eſt uel à Gadib. uſq; (ut aiũt) ac eruditorũ bonorũq; uirorũ punctis explorãdus. Fieri qdẽ nequit, ut aut mentiãtur, aut fallãtur omnes:

ſiquidem uir qui ſapit, quiq; (ut Plautus ait) multum habet in pectore, ex multis coniecturis aliquando certius diuinat, quàm quiuis augur, ſiue aruſpex, ex auibus præpetibus, & oſcinibus, aut ſoliſtimis tripudijs, aut etiam extorum fibris. Deinde etiam in re tam ſeria non grauabitur bonus ciuis, immò ciuitas ipſa tota, IESVM CHRISTVM comprecari, ut ſuo fauore rem bene fortunet. Neq; enim illorum curam poſuit, quos ſemel complexu ſuo dignatus (ut ex hiſtoria ſacra liquet) iuſsit ad ſe perferri, quibusq; bene eſt precatus. Ergo exquiret, num ille bonis prognatus ſit: bonis inquam, non genere modò, ſed moribus, quod ſpectandum eſt maximè: num liberaliter educatus: num proborum conſuetudine delectetur: num ipſe probatis hominibus charus ſit, & amicus: num magis gaudeat libris eruditis, quàm intempeſtiuis conuiuijs, ne dicam ſcortis & alea. obſeruet mores, geſtum, ac ſermonem hominis: an neq; ſegni demiſſoq; ingenio ſit, neq; rurſus iracundo ac iactabundo: contemplabitur uultum, frontem, & oculos hominis, in quibus non obſcurè cuiuſq; animus elucet. Deniq; quales euaſerint (ſi quos habuit) quos ille formandos ſuſceperit, inquiret. Nemo ſtatuam aut tabulam faciendam locat artifici, niſi prius inſpectis aliquot ſignis & operibus, quæ ex illius officina prodierint: & nos citra ſpecimen omne, liberos noſtros

forman-

formãdos temere cuiuis cõmittemus? diligentiores (ſi Deo placet) in ære marmore ue locãdo, quàm in ijs quæ nobis chariora ſunt, quàm ſumus ipſi nobis? Quare uereor, ne in nimis multos Horatij illa ironia congruat:

O ciues ciues, quærenda pecunia primum:

Virtus poſt numos. — Neq; minus Platonica illa obiurgatio: Quo nã ruitis homines? neſcitis quò feramini, neq; opportunũ quidquã cogitatis: qui omni ſtudio pecunijs cumulandis incumbitis: filios autem, quibus eas relicturi eſtis, negligitis: neq; ut illi rectè ſapiant, bonis præceptoribus commendatis. Nec mirum, ſi huiuſmodi patrum filij, nonnunquã parentes ipſos contemnunt. Nam & Solonis lege cautum fuit, ne filius parentem alere cogeretur, à quo nullam artem honeſtam edoctus eſſet. Sit igitur non cæca aut ſupina in deligendo præceptore optimo cura: quo inuento, tum de idoneo præmio cogitandum eſt. Nolim huic certum ſtipendij modum definiri: uerũ ea formula paciſci cum eo uelim, qua cõuiuator ille, cuius meminit Ariſtoteles, cum citharœdo, ſed fide meliore: Quo diligentius fideliusq; docueris, hoc plus feres à nobis præmij: ſi fefelleris expectationem noſtram, te ipſum magis fefelleris quàm nos. Sin reſponderis, efficiemus ut ſentias tibi cum Rep. nequaquam ingrata rem eſſe. Si uerò, quod optamus, etiam ſuperaueris, non patie-

Digitized by Google

mur, quod quidem in nobis erit, noſtram benignitatẽ officijs tuis ſuperari: ad hoc igitur certamen bonis auibus accingere. At fortaßis, ut ſunt hominum ingenia, ratam uolet ac definitam mercedis ſummam paciſci. huic haud grauatè aſſentietur prudens Reſpublica. Sed agedum, inquiet, recipimus: tu uiciſsim officium Grammatici iureiurãdo promittes. quod ſi ab officio deflexeris, detraxeris'ue, & nos de mercede detrahemus: ſin præſtiteris, præſtabimus: ſi denique etiam ultro aliquid adiunxeris, id à nobis cum fœnore tibi reponetur. Talem igitur ſuſcipiet illa ſagax Reſpublica: nec ſinet deinceps eſſe inter ſordidos, ſed optimis & honoratis quibuſque ciuibus eum tradet: ac munuſculis excitabit hominis induſtriam, ut intelligat ſe in ea ciuitate uiuere, in qua uirtuti rectéq; factis honos habeatur. Honos enim, non ſolum alit artes, uerùm etiam parit. Nec tamen ad aliud munus uocari patiar. Sola ætas ingraueſcens, impetrabit illi rudem: ſic tamen, ut fruatur ſua uirtute, & conſilijs adſit, ſi minus queat opera. Illud quoque non parui momenti eſt, ut aliquis huic noſtro æmulus excitetur, uir non indoctus & bonus, cuius uirtute & induſtria tanquam extimuletur. quod quidem erit facilius, ſi ea ciuitas non unum tantum, ſed uel binos, uel plures (quod ſæpe ob magnitudinem ur-
bis

bis neceſſarium eſt) habeat profeſſores. ſcitum eſt Themiſtoclis illud, qui ſuam uigilantiam in Republica admirantibus, reſpondiſſe fertur: Miltiadis trophæis ſe è ſomno ſuſcitari. Quod ſi inſignis ille doctor (cur eum non inſignem doctorem uocem, cum procliuius ſit, uel in triplici iure doctoris nomē, quàm ſemel boni Grammatici titulum promeruiſſe) de loco mutando cogitabit (ut ferè hoc hominum genus ſolet) catenis ac fidiculis aureis adligandus eſt. Hic, ſcio, nonnulli in ea Republica clamitabunt, plus nimio impenſum iri: ſe tanti nolle (uti paulo antè dicebam) unum homunculum emere. Hic bonus ille ciuis, cui Reipublicæ ſalus cordi eſt, rationibus oſtendet, ſic è Republica eſſe. Primùm ex hoc fonte potiſsimùm manare ſalutem, aut perniciem ciuitatis: nihil inutilius eſſe, quàm crebram præceptorum mutationem. ad eum enim modum Penelopes telam texi, & retexi. præceptum Dei eſſe, de rectè educandis ac erudiendis liberis. Proinde haud decere Chriſtianū uirū, pecuniolam, liberis dulciſsimis, Deiq; iuſſis anteferre. cōmemorabit, quantū ex publico ærario, quātū ex pecunia cuiuſq; priuata depromatur in res inanes, ac ſæpenumero noxias. Quod ſi uel in ære alieno ſit ciuitas, uel tenues ſint priuatæ facultates, ex ſacris opib. (quæ nuſquam nō ampliſsimæ ſunt) quātū ſatis erit, accipiet: quo tā honeſtæ, tam

ſanctæ,

ſanctæ, tam piæ, adde etiam neceſſariæ rei ſuppeditetur. Sunt enim & ipſæ publicæ: tum in hoc relictæ à maioribus, ut honeſtis ac pijs uſibus ſeruiant. At quid religioſius eſt, quid pium magis, quàm eas in totius ciuitatis prolem, artibus, moribus, religione inſtituendã impendi? Hic eſt uerus Dei cultus, qui ad uiuam Dei imaginem excolẽdam exhibetur. Hæc & alia eiuſmodi ſi eloquetur uir bonus, uidebit ſibi non aliter euenire, quàm apud Vergilium legitur:

> Tum pietate grauẽ, ac meritis, ſi fortè uirũ quẽ
> Conſpexêre, ſilent, arrectisq; auribus aſtant.
> Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Itaq; hac ratione præceptoris, alioqui optimi, incõſtantiã deuinciet atq; firmabit. Nec putet ulla ciuitas, ſibi cum Deo immortali rem eſſe: ſed cum homine, primùm qui peccare poßit: deinde, cui quamuis perfecto, alia tamen etiam deeſſe poßint. At, ſi quis eſt qui flagitia manifeſta in deligendo præceptore non euitet, iam hic ſciat, cætera quoq;, quæ ad utilitatem iuuentutis conferre conamur, eſſe ſibi (hac parte omiſſa) ſuperuacanea.

AN PROTINVS PRAECEPTORE OPTIMO ſit utendum.

HIC M. Fabij uerba ſubijcere operæpretiũ duximus, eaq; ad noſtrum inſtitutum accõmodare, ut id quod quærimus, inuentum detur. Ne

illorum

illorum quidem (inquit) perſuaſio ſilentio tranſe-
unda eſt, qui etiam cum idoneo Grammatico pue-
ros putauerunt, non tamen continuò tradendos e-
minentiſsimo credunt, ſed apud minores aliquãdiu
detinent, tanquam inſtituendis artibus magis ſit a-
pta mediocritas præceptoris, cùm ad intellectũ at-
que imitationem facilior, tum ad ſuſpiciendas ele-
mentorũ moleſtias minus ſuperba. Quà in re mihi
non arbitror diu laborandum, ut oſtendam, quan-
to ſit melius optimis imbui: quanta in eluendis, quæ
ſemel inſederint, uitijs difficultas conſequatur: cum
geminatum onus, ſuccedentes premat. Siquidẽ Le-
onides Alexandri pædagogus, ut à Babylonio Di-
ogene traditur, quibuſdam eum uitijs imbuit, quæ
robuſtum quoque & iam maximum regem, ab illa
inſtitutione puerili ſunt perſecuta. Quod quidem
minimè factum eſſet, ſi Philippus Alexandri pater,
ſtatim, ut in illius ortu ſtatuerat, eum Ariſtoteli for
mandum tradidiſſet. Etenim naturà tenaciſsimi ſu-
mus eorum, quæ rudibus annis percepimus: ut ſa-
por, quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores,
quib. ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt:
& magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt.
Nam bona facile mutantur in peius: nunc quando
in bonum uerteris uitia? Equidem dedocendi gra-
uius, ac prius onus, quàm docendi. Itaq; Timotheũ
clarum in arte tibiarum, ferunt, duplo maiores ab

eis

eis quos alius inſtituiſſet, ſolitũ exigere mercedes, quàm ſi rudes traderentur. Error tamẽ eſt in re duplex. unus, quod interim ſufficere illis minores exiſtimant, & bono ſanè ſtomacho eis contenti ſunt. Quæ quanquam & ipſa reprehenſione digna ſecuritas, tamen eſſet utcũq; tolerabilis, ſi eiuſmodi preceptores minus docerent, non peius. Alter error, illo etiam frequentior, quòd eos qui ampliorem docendi facultatem ſint conſecuti, non putant ad minora deſcendere. Idq; fieri, tum quia faſtidiant preſtare hanc inferioribus curam: tum, quia omnino non poſsint. Equidẽ eum qui nolit, in numero præceptorum nõ habeo: poſſe autem, ſi uelit, optimum quemq; contendo. Primùm, quòd eũ qui inſigni doctrina cæteris præſtet, illa quoq; per quæ ad eam doctrinã peruenitur, diligentiſsimè percepiſſe credibile eſt. Deinde, quia plurimum in præcipiendo ualet ratio, quæ doctiſsimo cuiq; planiſsima eſt. Poſtremò, quia nemo ſic in maioribus eminet, ut eum minora deficiant. Niſi fortè Iouem quidem Phidias optimè fecit: illa autem quæ in ornamentum eius operis accedunt, alius melius elaboraſſet. aut quaſi orator loqui neſciat, aut leuiores morbos curare non poſsit præſtantiſsimus medicus. Quid ergo? non eſt quædam doctrina maior, quàm ut eam intellectu conſequi puerilis infirmitas poſsit? Ego uerò confiteor: ſed hunc eximium præceptorem, pruden-

tem

tem quoq;, & non ignarum docendi eſſe oportebit (eſt enim & docendi ars quædam) ſubmittentem ſe ad ingenium diſcentis: ut uelociſsimus quiſque, ſi fortè iter cum paruulo faciat, det manum, & gradum ſuum minuat, nec procedat ultrà quàm comes poſsit. Quid? ſi plerunq; accidit, ut faciliora ſint ad intelligendũ, & lucidiora multò, quæ à doctiſsimo quoq; traduntur? Nam & prima in docendo uirtus eſt, perſpicuitas: et quo quiſq; ingenio minus ualet, hoc ſe magis attollere & dilatare conatur: ut ſtatura breues, in digitos eriguntur: & plura infirmi minantur. Nam tumidos, et inflatos, & κακοζηλίᾳ peccantes, certum habeo non uirium, ſed infirmitatis uitio laborare: ut corpora non robore, ſed ualetudine inflantur: & à recto itinere lapſi, plerunque diuertunt. Erit ergo obſcurior etiã, quo quiſque deterior. Sit igitur ille ut moribus incorruptis & commodis, ita doctrina neutiquam triuiali præditus, cui filium tuũ ueluti teneræ mentis nutricio, in gremium trades: à quo literarũ nectar, unà cũ ipſo lacte, nõ Circes poculũ, in ferã uertẽs, tãquã ab aliquo Apollinis Muſarũq; alũno, haurire poſsit.

QVAE IN SVSCIPIENDA DOCENDI PROVINCIA Grãmatico obſeruanda ſint.

Dvplici uia docẽdi munus aſsumitur. aut enim accitus aliqs, cõductus ue, ſuã in docendo operam nauat: aut ſua ſponte prouinciam inuadit.

uadit.ut in pleriſq; urbibus fit, ubi præter eos qui publico ære merent, ſunt quoq; qui ultrò docendi operam pueris uenientibus certa mercede exhibeant, & quidem nonnunquam publicis & magnis illis uel meliores, uel ſaltem pares. His *nihil ſeorſum hoc loco quod præcipiam habeo, niſi ut communibus noſtris præceptis ſeſe attemperent.* Porrò *prioribus illis cautio eſt, ne & ipſi acciti fallãtur. neq; enim uel omnis* Reſpublica *bene inſtituta eſt, uel omnis homo fidelis & bonus.* Quare *diligenter illi perquirendum erit à finitimis, uicinisq;, aut etiã à quibuſdam eius ciuitatis hominibus, ſi quos amicos habet, qui mores hominum, quæ* Reipublicæ *inſtitutio, qui in precio ſint, docti an indocti? boni ne an mali? Sed præcipuè, quo loco, quoq; pacto alios præceptores habuerint.* Et *eoſdem, uel unum quempiam, ſi fieri poßit, utile fuerit conuenire, ab eoq; rem omnem perdiſcere: & quid cauſæ ſit, cur non etiam eidem* Reipublicæ *operam det?* Et *ex omnibus ſecũ raticiocinari, ſuæq; rei euẽtũ ſcitè colligere.* Iam *hoc loco quærendũ eſt, gratis ne, quod ad ipſum attinet, ei docendum ſit.* Ac *primum quis ignorat, quin id longè ſit honeſtißimum, ac* Chriſtiano *homine & liberalibus diſciplinis, & illo quẽ exigimus animo, digniſsimum, non uendere operã, nec eleuare tãti beneficij autoritatem: cum pleraq; hoc ipſo poßint uideri uilia, quod precium habẽt.*

Ceteris

Cæcis hoc (ut aiunt) ſatis perſpicuum eſt: nec quiſquam cui ſuppetant opes, hunc quæſtum ſine crimine fecerit. Talis ergo quicunq; erit, eam mercedem ſibi reddi poſtulabit, quam Thales Mileſius, inter ſeptem ſapientes illos facilè princeps, à Mandryato Prienenſi impetrauit: Satis, inquit Thales (cum is ob ſiderum cognitionem, quam ab eo didicerat, mercedis ei optionem daret) mihi fuerit mercedis, ſi id quod à me didiciſti, cũ proferre ad quoſpiam cœperis, tibi non arrogaueris, ſed mihi id referes acceptum. Pulchra merces prorſum, ac tali uiro digna. At ſi res familiaris anguſta tenuiſq; fuerit, patietur ſibi gratiam referri: cum & Socrati collatum ſit ad uictũ: & Zeno, & Cleanthes, & Chryſippus, mercedes à diſcipulis acceptauerint. ne que id Chriſtianæ legi derogat: præſertim cum & Paulus iubeat, eum qui doctrina eruditur, cum eo à quo eruditur, bona ſua communicare. Neq; enim uideo, quæ iuſtior acquirendi ratio, quàm ex honeſtiſſimo labore: & ab his, de quib. optimè meruerint: quiq; ſi nihil inuicem præſtẽt, indigni fuerint omni doctrina. Quod quidem non iuſtum modò, ſed neceſſarium etiam eſt: quum hæc ipſa opera tẽpus´ue omne alienis negocijs datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Sed tum quoq; tenendus eſt modus: ac plurimùm refert, & à quo accipiat, & quantum, & quouſq;. Paciſcendi quidem ille piraticus

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

ticus mos, & imponentium periculis precia, procul abarcendus eſt: quemadmodum Protagoram ſophiſtarum acerrimum ſcribit Gellius, cum ſuo diſcipulo Euathlo mercedem, grandem pecuniam, temeraria nimis conditione pepigiſſe: ut ſibi tum demum id argenti daret, ſi primo tyrocinio agendi apud iudices uiciſſet. Cum autē Euathlus apud eum abundè promouiſſet, cauſſas tamen non reciperet, ne mercedem ſolueret, Protagoras aſtu cognito, cū ad iudices uocauit: expoſitaq; conditione, qua docendum receperat, anceps argumentum propoſuit. Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, utroq; id modo fore, uti reddas quod peto: ſiue contra te pronunciatum erit, ſiue pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia uicero: ſin uerò ſecundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu uiceris. Ad ea reſpondit Euathlus: Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obuiam, ſi uerba non ipſe facerem, ſed alio patrono uterer. Sed maius mihi iſta uictoria proludium eſt, cum te non in cauſſa tantum, ſed in argumento quoq; iſto uinco. Diſce igitur tu quoq; magiſter ſapientiſſime, utroque modo fieri, uti non reddam quod petis: ſiue contra me pronunciatum fuerit, ſiue pro me. Nam ſi iudices pro cauſſa mea ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego uicero: ſin contra me pronunciauerint,

Digitized by Google

uerint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non uicero. Tum iudices dubioſum hoc inexplicabileq́; eſſe, quod utrinq; dicebatur, rati, ne ſententia ſua utramcunq; in partem dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet, rem iniudicatam reliquerunt, cauſſamq́; in diem longiſsimam diſtulerunt. Sic ab adoleſcente diſcipulo, magiſter diſciplina eloquentiæ inclytus, ſuo ſibi argumento confutatus eſt, & captionis uerſutè excogitatæ fruſtratus fuit. Atque ideo merces Protagoræ tam aſpera, tam ſenticoſa, uerſutis & ſordidis relinquenda eſt: modusq́;, uti modò dixi, tenendus. Nam, ut ſapienter Horatius ait:

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Negociatio præterea, etiam à mediocriter improbis, aberit: cum præſertim Reipublicæ operam danti, bonasq́; literas docenti, non ſint bonorum uirorum præſidia defutura. Nihil acquirere uolet Grammaticus, ultra quàm ſatis erit: ac ne paumper quidem tanquam mercedem accipiet, ſed mutua beneuolentia utetur, quum ſciet ſe tanto plus præſtitiſſe: quia nec uenire hoc beneficium oportet, nec perire. De gratia uerò referenda, ad eos magis pertinet, qui debent, quàm ad eum qui beneficium dat, cogitare.

AN PRAECEPTORI SIT SAEPIVS mutandus locus, & ob quas cauſſas.

MVtandum eſſe locum tyroni Grammatico, ſuperius admonui, quum de tempore, quo primùm docendi munus aggrediendum ſit, ageremus. Cæterùm confirmato iam, & palæſtræ aſſueto, haud tam crebra opus eſt de peregrinatione cogitatio, niſi ob grauiſsimas cauſſas. Siquidem mentis eſt parum conſtantis, nuſquam diu poſſe conſiſtere. Et uulgo malè audiunt Grãmatici, quòd tipula leuiores, inſtabilioresq́; ſint. Atq; hactenus, hoc quicquid eſt culpæ, condonari poterat: niſi quidam etiam, ſi dijs placet, editis libris præciperent, nuſquam ultra menſem uiro docto deſidendum eſſe. Quod neutiquam faciet, qui mentis compos fuerit, & haberi uelit. Nihil enim æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: neq; coaleſcit planta, quæ ſæpius trãsfertur: nec pueri, iam illius præceptoris aſſueti diſciplinæ, adeò ſub alio proficient: neq; doctori ipſi magna diſciplinarum fiet acceſsio: neq; quenquam ad ſumma (quod turpe quidem eſt) unquam perducet. Conſiſtet igitur Romæ, hoc eſt, ubi illius induſtria eſſe illuſtris poterit: cuius rei addam Ciceronis, hominis prudentiſsimi teſtimonium. is enim in quadam ad Cælium epiſtola: Omnis (inquit) peregrinatio (quod ego ab adoleſcentia iudicaui) obſcura & ſordida eſt ijs,

quo-

quorum induſtria Romæ poteſt *illuſtris eſſe, immo rabitur igitur, donec in diſcipulis fructũ laborum expectatũ conſpexerit, plurimosq́ ſui ſimiles effecerit: niſi aut explodatur aliqua inſigni calumnia, aut ad uictum non ſuppeditentur neceſſaria: uel etiam ingens aliquod bonum, ueluti ualetudo uel ſua uel ſuorum, deinde etiam publica uel communis utilitas & ſalus aliò eum trahat. Atq; de ijs ſingulis docere eum oportet* Rempub. *ne ſiniſtram de ſe opinionem ciuibus relinquat.* Atq; *ita bona cũ eorum uenia, expoſitis cauſſis, quò eum neceſſitas* Deusq́ *uocat, abire poterit.*

QVI LOCVS SIT APTVS ſcholæ, & quales ædes.

L*Ocus ſcholæ* (*.ſi licet optare*) *nec in platea, foro'ue rerum uenalium, quod emporium dicitur, ſit: ob uariam negociationem, quæ illic exercetur, uariamq́; hominum colluuiem eò confluentium, à quibus pleraq; dicuntur fiuntq́; indigna puerorum præſentia: quibus magnam deberi reuerentiam, dixit* Horatius. Et Ariſtoteles *iubet publicè curari, ne quid turpe dicat, audiat, uideatúe puer.* Rudis *illa ætas, cui omnia noua ſunt, ad ſingula ſtupet: deinde etiam imitatur: & cum iudicio careat, diſcrimen nullum recti & praui nouit. cum autem etiam naturà procliues ad malum ſimus, quòd uirtutibus amaritudo permixta eſt, uitia uerò melle*

Digitized by Google

uoluptatis perlita ſunt: ſit, ut quemadmodum muſcæ dulcioribus ſeſe applicāt, ſic pueri deteriora ſequantur. Sed neque alibi extra forum, unde exaudiri opificum ſtrepitus poßint, ludum literarium eſſe uelim: quòd aures docentium ſimul & diſcentium huiuſmodi ſonitu obtundantur: atque id non memoriæ modò, ſed etiam intelligentiæ officiat. Itaque Plato, atq; eius diſcipulus Ariſtoteles, mille ab Athenis paßibus in nemoroſo loco ſcholas habuerunt: ſed Plato in Academia, Ariſtoteles in Lyceo (nam id ſuperiori gymnaſio nomen eſt) de quibus ſic Cicero in primo de Diuinatione:

Inq; Academia umbrifera, nitidoq; Lyceo,
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

Verùm cum duplex forum ciuitati ſtatuat Philoſophus in Politicis: unum rerum uenaliū, ut antè diximus: alterum liberū, id eſt, quod eſſe debet ab omni mercatu purum, ut neq; fex plebis eò, neq; agricolæ, neq; ullū aliud tale genus hominum accedat, niſi à magiſtratib. accerſatur: in hoc publicæ ædes diſciplinis dicatæ, et Muſis eſſe debent: itemq; ſacræ, quæ foro & ornamento erunt, & religioni. Tale forum Ariſtoteles ex Socrate deſcribere uidetur, in ſeptimo de Rep. libro: Locus etiā clarus, inquit, ita futurus eſt, ſi ſenum exercitationib. erit cōſtitutus. nam pro cuiuſq; ætate hoc Reipub. ornamentum diſtinguendum eſt, ut & rebus quas adoleſcentes

gerent,

gerent, magiſtratus quidam interſint: & frequentes ſint ſenes, cum magiſtratibus. Magiſtratuum enim præſentia uero pudore afficit maximè, metumq; libero homine dignum incutit. Quod ſi uſpiam tale forum reperiatur, in eo ſchola conſtitui debet ob iam dictas cauſſas. tales autem apud Theſſalos, ut Ariſtoteles, et apud Perſas, ut Xenophō ait, extiterunt. Tale etiam eſt hodie Baſileæ: quæ urbs uerè Muſarum domicilium, aut potius regia, cum propter Typographorum & doctorum uirorum copiam, tum maximè propter optimi ſenatus ſapientiam & liberalitatem, dicenda eſt. in qua urbe hoc opus, ante annos decem & ſeptem à nobis Papiæ ſcriptum, aliquantum recognouimus, & edidimus, ut doctorū ſubiret iudicia. Illud quoq; ſummopere cauendum eſt, ne gymnaſium in ea parte urbis habeamus, in qua ſunt ganeæ, uel ubi mulieres pudicitiam proſtituunt, ne facilitas peccandi pueritiam corrumpat. Cogis adulterium, dando tēpusq; locūq;, ut Claudianus ait: quo nihil pernicioſius accidere poteſt ijs, qui ad Muſas contendunt. Sit igitur ſcholæ locus uel in libero foro, uel in quopiam honeſto urbis ſeceſſu, non opaco & triſti, ſed læto & ſalubri: utpote ubi tota ciuitatis ſpes tanquam in fœcundiſſimo grege ſeruatur. Aedes uerò ſint elegantes, non ſordidæ: claræ, non tenebricoſæ: laxæ, non anguſtæ. Adſit hortus amœnus, cum pu-

riſsimo fonte: ſint in ea domo loca ita diſtincta, ut & præceptoris familiam capiat, & ut ab inuicem ſeparari poſsint ipſi diſcentium ordines. Nam cum domus finis ſit uſus, perſpicuum eſt, ad eum accommodandam eſſe ædificandi deſcriptionem: & tamen adhibenda quoq; eſt dignitatis, commoditatisq; diligentia. Hæc igitur omnia quanto erunt amplioгa, tanto magis ciuitatem illam exornabunt.

PRIVATIM'NE, AN PUBLICE' Erudiri puerum præſtet: tum an præceptori conducat, in aliena familia priuatim docere: & inibi, numerus diſcipulorum.

HIc ſtatim gemina occurrit quæſtio: altera ad parentes ſpectans, altera ad præceptores ipſos. Prior, priuatim'ne domi, an in ſcholis, apud publicos præceptores, erudiri puerū præſtet? Poſterior, an conducat præceptori optimo, priuatim in aliena familia docere? quibus ne Iliada, quod aiunt, poſt Homerum uelle ſcribere uidear, paucis reſpondebo. Nam priorem luculentiſsime Fabius, libro primo Inſtitutionum oratoriarum explicauit. De altera extat Luciani libellus ſane feſtiuiſsimus, de his qui mercede conducti in diuitum familijs degunt, inſcriptus: qui uolet, ab his petat. Quod ſi quis tamen, quid illi ſuper his ſtatuant, ſummatim ſcire cupit: ille frequentiæ ſcholarum, publicisq; præceptoribus puerum tradit: hic, in aliqua docentem

tem

tem familia, miſerè deplorat: conaturq́; eum è tot ærumnis, ſi poßit, eximere. Quamobrem doctor ſi ſapiet ille meus, nequaquam ſe in has coniĳciet miſe rias. Nam optimus quiſq; præceptor frequẽtia gau det, ac maiore ſe theatro dignum putat: at uerò mi= nores ex conſcientia ſuæ infirmitatis, hærere ſingu lis, & officio fungi quodammodo pædagogi, non indignantur: neq; pater ille uerebitur, ut numerus profectui filiorum obſtet, quum contrà multo ma= gis proſit. Primò, facilius enim plures ab uno pu= dore retinentur, quàm unus ab uno liberaliter in= ſtituitur. Deinde uox illa præceptoris, non ut cæ= na minus pluribus ſufficit: ſed ut ſol uniuerſis idem lucis caloriſq́; largitur. Grammaticus quoque de ratione loquendi ſi diſſerat in Schola, quæſtiones explicet, hiſtorias exponat, poemata enarret: tot il la diſcẽt, quot audient: at domi ea ſola diſcere quis poteſt, quæ ipſi præcipiuntur. Audient multa quo= tidie probari, multa corrigi: proderit alicuius ob= iurgata deſidia: proderit laudata induſtria: excita= bitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pul chrum ſuperaſſe maiores. accendunt omnia hæc a= nimos: & licet quædam inſit ambitio, frequenter ta men cauſa uirtutum eſt. Non ego tamẽ eò mitti pu erũ uolo, ubi negligatur. Aliud eſt enim uitare ma las ſcholas, aliud eligere bonas. alioqui ſi malæ om nes ſint (quod nequaquam fit ueriſimile) domi re=

timere puerum ſatius erit. Sed neq; præceptor bonus maiori ſe turba, quàm ut ſuſtinere eam poßit, onerauerit: neq; ego aliud de numero diſcipulorũ Grammatico meo præſcripſerim, quàm id quod de Arte poetica præcipit Horatius,

Sumite materiam ueſtris qui ſcribitis æquam
Viribus, & uerſate diu quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri. ——

DE CONVICTORIBVS, QVOT eſſe debeant, & qua ratione ſint educandi.

Contubernio uti præceptoris, et cũ eo familiariter uiuere, nouum non eſt, ſed ab antiqua conſuetudine ductum. Siquidem Zenonem Cleanthes *(ut inquit Seneca) non expreßiſſet, ſi eum tantummodo audiuiſſet: uitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum, an ex illius forma uiueret.* Plato *quoq; &* Ariſtoteles, *omniſq; in diuerſum itura ſapientum turba, plus ex cõuictu & moribus, quàm ex uerbis Socratis traxit.* Metrodorũ, & Hermachum, *et Polyænum, magnos uiros, non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit. Apud Perſas, autore Xenophonte in Cyri Pædia, pueri non apud matrem, ſed apud magiſtrum educabantur. Et ipſe* Tullius, *ita ſe à patre ductum ad Scæuolam fuiſſe ait, ut à ſenis latere uix unquam diſcederet. Quare & magni intereſſe, in* Bruto *ſuo ſtatuit, quos quiſq; audiat quotidie domi, quibuſcum lo-*

quatur

quatur à puero: quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquãtur. Quid plura? Optimi quiq; præceptores, aliquot ſemper conuictores ac diſcipulos, tanquam uitæ ſuæ teſtes, habuerunt. Neque hanc neceſſitudinis partem refugiet præceptor meus. huic tamen certum numerum optarim: qui à cõmuni uulgiq; uocabulo maximè ſumi poteſt. Duodenã enim uocant noſtri homines, huiuſmodi cõuictorum ſodalitium: ut uel hinc conijcere liceat, non plures duodecim antiquis præceptoribus fuiſſe conuictores diſcipulos. Quod etiam Chriſtus illo ſuo diuino cõprobauit ſodalitio: qui numerus quamuis auctus ſit, ipſo tamen nomine ueteris conſuetudinis ueſtigia uſurpantur. quod quia ad ſordidum quæſtum ferè fit, non etiam ut plures proficiant, ueterem morem cenſeo reuocandũ. Quod ſi quis dicat, hic numerum non obſtare profectui, quomodo nec in Scholis, quod præcedenti capite monſtrauimus: ſciat, non idem eſſe, neq; ijſdem rationibus conſtare. Siquidem in Schola, doctoris tantum uox audienda eſt, aut interroganti reſpondendum: hic uerò, & uox auſcultanda, & mores perſpiciendi, & obſeruandi ſinguli geſtus: dum loquitur, dum cibum capit. Quid hic mihi faciet grex ille centenarius, totis ab eo atrijs diſiunctus? & cui uix ſolis illa menſa, ut dicitur, ſufficeret? Sed quid etiam præceptor ipſe agat, cuius non minus inter-

eſt ſpectare diſcipulos, quàm ab ipſis ſpectari: num menſa toties exurget, quoties illi dicendum eſt ali= quid, aſpiciendum aliquid, monendus aliquis? Adde *quòd labor ſcholæ diutinus tantus eſt, conuictorũ dies noctesq́; propè continuus.* Singuli *rurſus per= contandi ſunt, ſinguli audiendi, & dum reſpondẽt, & dum audita recitant.* Quid *quod nec ſine tu= multu & iurgijs, tantus numerus conſtare poteſt?* Pueri *enim inter ſeſe, ut ait* Terentius, *quàm pro leuibus noxis iras gerunt?* Quid *illud?* An *non præ ceptoris permagni refert? quotidie ſingulorum cu= bicula inſpicere, nũ mundicies adſit, ſordes abſint? num ut diſtributi ſunt, ita permaneant? num omnia ſuo ordine procedant? num turpia ludant?* Non *eſt leue, tot puerorum obſeruare manus: ut ait* Iuuena *lis.* Et *bonus ille pater, hæc omnia ab uno præce= ptore præſtari poſſe credit? unum tot pueris ſuffi= cere?* Et *præſtanda quidẽ ſunt, ſi officio ſuo defun= gi uelit: quippe hac de cauſa in eius contubernium traduntur, quo meliores, idq́; ocyus, quàm cæteri, qui in ſchola tantum erudiuntur, euadant.* Id *quod etſi quidam non norunt parentes, nihilo tamen mi= nus ea qui ſuſcipiunt, ipſi præſtare debent.* Sed *ideo tanta multitudine onerãtur libenter, quia iſta præ ſtare non curant: in id tantum intenti, quàm uberẽ quæſtum faciant.* At *ſi à nobis quæ præſtanda ſunt exigerentur, non tam faciles eſſemus ad augendam*

fami

familiam: uerùm quia ea nemo inquirit diligẽtius, ſecuri pergũt. Idcirco dixi, Grammaticũ doctorẽ, *uirũ bonũ eſſe debere, ut nullo etiã teſte* (*quãquam ſatis teſtiũ, ubi* Deus *adeſt, & conſcientia*) *ab officio unquam diſcedat.* Tametſi *mihi parentes meritò increpandi uidentur, qui pædagogis atq; præceptoribus filios ita committunt, ut quid hi diſcãt, neq; uideant ipſi, neq; protinus audiant: qua in re plus quàm opus ſit delinquũt. ipſi enim paucos intra dies periculum facere, ac tentare deberent: non autem in mercenarij fidem, ſpem ſuam omnem collocare.* Nam *& illi maiorem puerorum curam habituri ſunt, ſi ad* calculos *omnia quæ agunt, aut omittunt, reuocanda eſſe cognouerint.* Verum *enim eſt illud ſtabularij dictum, qui nulla alia re equum adeò ſaginari dixit, quàm oculo domini.* Si *quis tamen tam bene ſexcentis, quàm duodecim aut uiginti, ſe putat nauare poſſe operam, huic ſuaſerim, ut tanquam* Polyphemus *aliquis, lanigerum gregem ſecum ingentem trahat. cui uerò magis cordi eſt diſcipulorum profectus, quàm ſordidiſſimũ lucrum, is priſca illa duodena, aut paulo ſuprà, contentus erit: eamq; uti decet curabit, & inſtituet.* Et *ut reliqua quæ ad hanc rem ſpectant, paucis expediam: ut in ſchola ſedebunt, ita in menſa diſcumbent: honosq; non tam generi quàm uirtuti habeatur.* Por*rò autem* precatio, *antequam cibus ſumatur, pro*

dignitate

dignitate diuinæ benignitatis ineunda eſt: cùm earum rerum quæ in præſens nobis diuinitùs conferuntur, tum uerò earum quæ in poſterum in cœlo reconditæ ſunt. Iam à corporum curatione rurſus oratio, gratiarum actionem exequatur, acceptorũ beneficiorum ergo: atq; unà eorum flagitationem, quæ Deus nobis pollicitus eſt. Qua in re nos pueritiæ conſulentes, preces uarias noſtræ inſtitutioni adiecimus, ſiue quis Latino, ſiue Italico ſermone uelit: quibus qui uolent, uti poterunt: ſiue etiam alijs quibuſuis, modò ſint piæ, neq; inelegantes. Atq; ita precari illius erit muneris, qui per eos dies ſeptem menſæ inſtruendæ operam dabit. quod fieri uelim ordine à ſingulis. Nec etiam caſta ac docta lectione menſa uacabit, ut corpus cibo, animus uerò doctrina reficiatur. Hoc etiam alter ab eo qui menſæ inſeruit, exequetur: quam ſiue ex memorabili aliqua utiliq; hiſtoria, ſiue ex alio ſcriptorum genere, ſacro præſertim, clara uoce pronũciare poterit, quãdiu uiſum erit præceptori, deinde & ipſe cibum ſumet. Sermo in menſa (quanquam & alibi) ſit lenis, minimeq; pertinax: inſit quoq; in eo lepos: & ut incipiendi ratio fuerit, ita deſinendi modus. Nullus uernacula lingua utatur (his exceptis, qui nõdum didicerunt) ſed uel Græca, uel Latina. Deinde cibi ſumendi hora ſit certa, & conſtituta, pro ratione temporum. Pulmentum, obſonium'ue unicũ,

ſim=

ſimplexq́;,præter olus è iure,aut legumen, aut ali-
quid ſimile,opponatur omnibus: ſiue id erit ex car
nibus,ſiue piſcibus,ſiue ouis,alio'ue genere.niſi for
tè tam exiguum ſit, ut diſſectum non ſufficiat om-
nibus:tunc enim ex altero ſuppleri poterit.Id enim
non ſolum ſtudijs eſt utile, uerùm etiam ualetudi-
ni.Coaceruatio namq; ſaporum peſtifera,& uarie
tas illa eduliorum,diſsidium ciet in ſtomacho,men-
temq; conturbat:ut medici docent. Vnde Diodorus
Ichthyophagos tradit, uitam totam ferè ſine mor-
bis uiuere:quòd uno piſciũ cibo (unde nomen ade-
pti)utantur.Et Ioſephus Eſſenos,in ſecundo Iuda-
ici belli libro ait,quietiſsimam ſine tumultu,in rerũ
diuinarum contemplatione, manuumq; opere,uitã
agere:quòd apud eos edendi ac potandi modus,ſa-
turitate definiatur. Hinc Socrates monere ſolitus
erat, cibos illos potusq́; uitandos, qui ſitim famẽq;
producant:atq; edendi bibendi'ue acuant appeten-
tiam. Panis triticeus utilis,non delicatus,ſit æqua-
liter cunctis.Vinum mediocre, & ſine uitio : quod
& purum afferri optarim, ut pueri ipſi diluere a-
qua illud aſſueſcant.idq; ut ſedulò faciant,imperan
dum.utq; non longè aqua petatur, uas aliquod lu-
cidum & mundum in menſa pura plenum lympha
de more ponatur. Monendiq; ſunt, ut magis aquã
uino modico, quàm uinum aqua temperent: quòd
nimius eius uſus,ut etiam cibi,bonæ ualetudini ue-
hemen-

hementer inimicus ſit, & rectæ rationis uſum magnopere perturbet. Quapropter nõ immeritò mater bonæ ualetudinis à Valerio Maximo frugalitas appellatur. & Horatius ſolertẽ puerũ laudans, ait:

Multa tulit fecitq; puer, ſudauit, & alſit,
Abſtinuit uino; & uenere. ——

Quod ad quietis capiendæ, ſomni'ue rationem attinet, ſic diſtribui debent per cubicula, uti ne adulti cum iunioribus cubent: ac quemadmodum opiliones & armentarij ſolent, teneros à robuſtioribus habeat ſeparatos. Aurora Muſis amica eſt, apta ſtudijs. Porrò ne unquam ea Muſarum alumnos ſtertentes inueniat, præceptori curandũ eſt: atq; etiam longioribus noctibus, ueluti brumæ tempore, illam una aut altera hora anteuertendam eſſe monebit. Pernoctant uenatores in niue, in montib. uriſe patiuntur: Ergo hæc uenator uilium ferarũ facere poterit, artium ſapientiæ non poterit? Itaq; præceptori illud ſeruandum erit, quod Cato in libro de Re ruſtica patremfamiliâs ſeruare iubet: ut ſcilicet primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitũ eat: quod tum ad ualetudinem, tum ad curam domeſticam, tum ad ſtudia prodeſt quamplurimum. Quantum ad ipſos pueros attinet, compertũ eſt, eos plurimo tum cibo, tum potu, immodicoq; ſomno, hebetiores fieri. Quare ne ſtatim pueri edãt à quiete, nec ante prandium, niſi quidam ferre inediam non poßint:

tunc

tunc ſatis erit, panis fruſtum ſumere, aut aliquid quo ſtomachus ſedetur, non ſaturetur. Illud in primis cauendum, ne quid turpe aut contumelioſum in aliquem dicant, nec regerãt maledictum: bene uerò unicuiq; precẽtur, ut iubet Paulus. Inſtituendi præterea, quo pacto deceat admittere uenientes, quo abeuntes dimittere: ut oporteat uerecundè ſalutare maiores, iuniores humaniter accipere, amicos beneuoloſq; familiariter conuenire: ut ſint pro ætate penitus religioſi, ac pij: ut nũquã ſine præceptoris commeatu ædibus migrent. Si quò eũdum, bini incedãt, ut delphines: quos paruos ſemper aliqs grãdis comitatur. A conuiuijs itẽ atq; alea arceãtur.

LVSVS HONESTOS non prohiberi.

DAnda eſt tamen omnibus aliqua remißio, ut Fabius ait: non ſolum, quia nulla res eſt, quæ perferre poßit cõtinuũ laborem: atq; ea quoque quæ ſenſu & anima carent, ut agri & ſtirpes, quò ſeruare uim ſuam poßint, uelut quietẽ alterna reficiuntur & recreantur: ſed etiam, quòd ſtudiũ diſcendi uolũtate, quæ cogi nõ poteſt, conſtet. Itaq; & uirium plus afferunt ad diſcendum renouati ac recentes: & acriorẽ animum, qui cogi recuſat. Modus tamẽ ſit remißionib. ne aut odiũ ſtudiorũ pariant negatæ, aut ocij conſuetudinẽ nimiæ. neq; enim in ludo, uel ioco, eſt beata uita: ſed medicinæ loco

adhibēdus; ut uerè cēſet Ariſtoteles. Luſus ſint, qui honeſtatē habeant, cū iucunditate coniunctā: quales ſunt, trochus, pila, globus: item illa robuſtiora, ſaltus, curſus, lucta, ceſtus, iacula, & id genus ingenuorum exercitationes, quæ & corporis agilitati ſimul, & firmitudini conferunt, quæ γυμνικὰ ueteres appellarunt: qui (ut Ouidius canit)

Ceſtibus & iaculis, & miſſo pondere ſaxi,
Brachia per luſus experiunda dabant.

Maximè enim hæc ætas à deſidia arcēda eſt, exercēdaq́; in labore, patiētiaq́; et animi et corporis, ut eorū in bellicis et ciuilib. officijs uigeat induſtria: unicuiq; tamē ꝓ ætatis modo, ne à decoro recedatur. Nā & Cicero nō omnē pueris ludendi licentiā dat, ſed eā tantū, quæ ab honeſtis actionib. nō ſit aliena. ut nimirū caueant intēperantiam, meminerint uerecūdiæ. quod erit facilius, ſi huiuſmodi quoq; reb. præceptor ipſe, aut maiores natu, quos pueri reuereantur, intereſſe uelint. Latinè, dum ludunt, loquentur: cōſtituta pœna ex ratione ludi, qui patrio ſermone erit uſus. Latinè facilè loquentur, ac proinde libentius, ſi omnino quæ ludendo ſint dicenda, habeant à præceptore bonis & proprijs uerbis explicata & notata. Inuiti enim loquimur, quæ nos impropriè aut ineptè dicturos eſſe metuimus. At cū tēpus exercere corpus non ſinet, uel ſi qui ſint quibus aut non liceat, aut non libeat (ut ſunt uaria pu

erorum ingenia) magno oblectamento erunt ſermocinationes feſtiuæ, & ſuaues: cuiuſmodi ſunt, fabellæ, hiſtoriolæ, prouerbia, apophthegmata, atq; id genus narratiunculæ argutæ, facetæ, lepidæ, lautæ: quæ ingenium et iudicium ſimul, & memoriam exerceāt. Canere præterea ex arte muſica, aut tibias inflare, aut teſtudinē digitis alia'ue ratione tangere, citharaq́; ludere, oblectationem habet liberalem, & honeſtam: modò talis ſit harmonia, & modus, qualem libro primo diximus, morata: & quæ canuntur, caſta ſint ac religioſa, nec inerudita. Sed uelim id modicè fieri, & certis horis: alioqui multum temporis ſtudijs aufert, ſi modum non feceris. Pictura quoque ingenua eſt: eam enim inter artes pueriles numerat in Politicis Ariſtoteles: eaq́; uel ſuapte natura pueri delectantur. Habebunt igitur porticus, & uacua atria, in quibus iactent ſeſe, recreentq́;, cum pluuium eſt cœlum.

SCHOLAM IN CERTOS SIVE ORdines, ſiue claſſes, eſſe diſponendam.

ADmonet me cùm Tullij Hoſtilij diligentia, tum maximè Quintiliani locus, ubi de ordinibus diſcentium, quas Claſſes appellat, mentionē facit, ut nos quoq; hic totā diſcentiū ſcholā in quaſdā ueluti claſſes, ſeu curias, ſeu trib. digeramus. Neque enim ordine uacare debet ſchola: quomodo nec

domus, nec ciuitas, nec exercitus. Immò quo infirmior ætas, minusq; ad ſeſe regendum idonea eſt, eo maiore ordine curaq; ac uigilantia moderanda eſt. Itaq; apta, nec minus commoda, mea quidem ſententia, hæc diſtinctio erit, ſi, quemadmodum annos ſeptem diſcētibus, poſt ſextum aut ſeptimū ætatis annum, ad Latinum planumq; ſermonem comparandum damus, ita in claſſes ſeptem ipſa puerorū multitudo diſponatur. Sed ante omnia totam docendi rationem in geminas portiones partimur: ita ut tres primi anni, rudimenta uocentur: quatuor reliqui, abſolutioni ac perfectioni tribuantur: quòd in illis ueluti fundamenta iaciuntur puri dilucidiq; ſermonis, in reliquis opus ipſum abſoluitur atq; perficitur. De rudimentis hoc libro loquemur: reliqua tertio pòſt expedientur. Et quoniã ſcripſimus De literis doctrinaq; puerili libros ſex, nemo arrogantiæ dabit opinor, ſi eos ita in ſeptem claſſes & annos diſtribuerimus: ut illis abſolutis, adiecta autorū quos præſcribemus diligenti lectione, & præceptorum exercitatione, abſolutus quoq; & perfectus ſit Latini dilucidiq; ſermonis curſus. Nos partes omnes quidem Grammaticæ dilucidè, breuiter, & purè, ut uidemur, complexi ſumus: uerùm, ſi cui noſtra nõ ſatis eſſe uideãtur, & pleniora quædam cupiat, Thomæ Linacri, cuius mentionem libro ſuperiore fecimus, opus aſſumere utiliter poterit.

rit. Is enim eius partis Grammaticæ, quæ quidem
potiſsima eſt, & in qua totius artis eius fructus con
tinetur, de emendata ſtructura Latini ſermonis, li=
bros pariter ſex edidit: in quibus myſteria ipſius
tanta diligentia eſt perſecutus, ut uix ullũ inuenias,
(ignoſcant mihi docti uiri, quibus ſuã laudem ſar=
tam tectam uolumus eſſe) in eo genere, qui ei ante
ponendus eſſe uideatur. Itaq; deinceps nos eum ſic
cum noſtris coniungemus, ut pariter incedere ui=
deamur: ita tamen, ut noſtra tanquam faciliora &
breuiora præcurrant, Linacri in eodem ordine ſe=
quãtur. Nos igitur noſtram uiam tenebimus, quo=
niam eam contriuimus, nec ſine magno diſcentium
fructu. Alij, quam uelint, modò uel meliorẽ, uel ſal=
tem non deteriorem, per me quidẽ licet ſequantur.
In ipſis autem claſsibus illud curandum erit, ne a=
doleſcẽtibus pueri permixti ſedeant. Nam etiamſi
uir talis, qualem eſſe oportet ſtudijs moribusq; præ
poſitum, modeſtam habere poteſt etiam iuuentutẽ:
tamen teneri à robuſtioribus, ut antè dixi, ſeparan
di ſunt, ne qui locus pateat iniuriæ. In claſſes igitur
pueri diſtribuantur, quod & Fabio in primis pla=
cuit, pro ætatum, ingeniorũ atq; profectuum diſcri
mine. et ita ſuperiore quiſq; loco ſedeat, ut præcede
re profectu uidebitur: nulla perſonarum habita ra
tione, ſed ingenij & eruditionis, quæ ferè ſola in
ſcholis ſpectare præceptores debent. Quia uerò u=

num omnibus præeſſe ordinibus, claſſesq; curam, difficillimum eſt, in magna præſertim diſcipulorũ frequentia: ipſe, ut dictator prætorem & magiſtrũ equitum, ſic adminiſtrum collegam'ue ad docendi munus aſciſſet. Quinetiam ſingulis claßibus, ſinguli erunt præficiendi curatores: qui ea doceant, quæ ſingularum erunt propria claßium. Ipſi quoque ordines in certas decurias deſcribi poſſunt: & ex ipſis decuriones legere, qui ſuæ quiſq; decuriæ præſint, eamq; obſeruent ac urgeant. Velim autẽ hosce hypodidaſcalos, ſiue uicarios eſſe ipſos eruditos: aut, quod ſecundum eſt, ſe non eſſe eruditos intelligere: eaq; modo docere, quæ intelligant: quæ autem non intelligant, uel ipſos per ſe, ſi quidẽ poſſunt, addiſcere, uel ab ipſo præceptore petere. Alioqui nihil peius ijs, qui paululũ aliquid ultra primas literas progreßi, falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam & cedere peritioribus indignantur: ac ueluti iure quodam poteſtatis, quo ferè hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi, ſtultitiam produnt ſuam. Quare hic præceptori diligenter inuigilandum eſt.

DE PRIMA CLASSE, ET QVANDO PRIMUM DOCENDUS PUER ELEMẼTA PRIMA.

QVidam literis inſtituendos (ut inquit Fabius) qui minores ſeptem annis eſſent, nõ putauerũt: quòd illa prima ætas & intellectũ diſci-

plinarum

plinarum capere, & laborẽ pati non poſsit. In qua ſententia Heſiodum fuiſſe plurimi tradũt, qui ante Grammaticũ Ariſtophanẽ fuerũt. Sed alij quoq; autores, inter quos Eratoſthenes, idem præceperunt. Melius aũt, qui nullũ tempus uacare cura uolunt, ut Chryſippus: qui quamuis nutricib. trienniũ dederit, tamen ab illis quoq; iam informandam quàm optimis inſtitutis mentẽ infantiũ iudicat. Et Plato in legib. qui pueros iam à triennio ſine contumelia caſtigari iubet, ne iracũdia efferãtur, neúe molles ac delicati reddantur. Cur aũt nõ pertineat ad literas, ætas, quæ ad mores iã pertinet? Neq; ignoro, toto illo de quo loquor tempore, uix tantum effici, quantum conferre unus poſtea poſsit annus: ſed tamen mihi, qui hoc ſenſerunt, uidẽtur non tã diſcentib. in hac parte, quàm docentib. peperciſſe. Quid melius alioquin faciẽt, ex quo loqui poterũt? faciãt enim aliquid neceſſe eſt: aut cur hoc, quãtulumcũq; eſt, uſq; ad ſeptimum annũ lucrum faſtidiamus? Et certè quãlibet paruũ ſit, quod cõtulerit ætas prior, maiora tamen aliqua diſcet puer eo ipſo anno, quo minora didiciſſet. Hoc per ſingulos annos prorogatum, in ſummam proficit: & quantũ in infantia præſumptũ eſt tẽporis, adoleſcentiæ acquiritur. Idẽ etiam de ſequentibus annis præceptum ſit, ne quod cuiq; diſcendũ eſt, ſerò diſcere incipiat: quod pſittacus nos docere poteſt. Diſcit enim ſtatim pullus

i 4 per

Digitized by Google

per duos ætatis ſuæ annos, dum os tenerum, dum lingua uolubilis & ſoluta eſt. Senex autem, & indocilis eſt, & obliuioſus. Itaq;, dum

Vdũ & molle lutũ eſt, nũc nũc properãdus, et acri
Fingendus ſine fine rota. —

Et quod Poeta de tauris domandis præcipit, cũ ait:
Tu quos ad ſtudiũ, atq; uſum formabis agreſtẽ,
Iam uitulos hortare, uiamq; inſiſte domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas:

Id etiam in pueris inſtituendis tenendum eſt. Quod autem Galenus in ſecundo de Sanitate tuẽda, in ſecundo ſeptennio pueri animum fingendum eſſe monet, id ipſemet declarat, ſe de grauiori diſciplina loqui, quæ animum ad modeſtiam informet: non quò uelit reliquam anteactam ætatẽ ſine aliqua puerili inſtitutione eſſe: uult enim, bis ſeptenis annis exactis, illum iam liberaliter inſtitutum eſſe, & ad ſcientiam ſapientiamq; tranſire. Nõ ergo perdamus primum ſtatim tempus: atq; eo minus, quòd initia literarum ſola memoria conſtant, quæ non modo iam eſt in paruis, ſed tum etiam tenaciſsima eſt. Nulla enim ætas tam infirma eſt, quæ non protinus quid rectum prauumq; ſit, diſcat: tum uel maximè formanda, cum ſimulandi neſcia eſt, & præcipientibus facilè credit. frangas enim citius, quàm corrigas, quæ in prauum induruerunt. Nunquam illud Vergilianum animo excidat:

Adeò

— Adeò à teneris conſueſcere multum eſt.
& quod Horatius ait:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu. —

Falſa enim eſt querela, paucißimis hominib. uim percipiendi quæ tradantur, eſſe conceſſam: pleroſq; uerò laborem ac tempus, &, quod dicitur, operam atq; oleum, ingenij tarditate perdere. Immò contrà plures reperias, & faciles ad excogitandum, & ad diſcendum promptos: quippe id eſt hominis proprium. Ac ſicut aues ad uolatum, equi ad curſum, ad ſæuitiam feræ gignuntur: ſic nobis propria eſt mentis agitatio atq; ſolertia, unde origo animi cœleſtis creditur. Hæbetes uerò & indociles, non magis ſecundum naturam hominis eduntur, quàm prodigioſa & monſtroſa corpora. Sed hi pauci admodum fuerunt argumentum, quòd in pueris elucet ſpes plurimorum: quæ cum emoritur ætate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe, ſed curam. Præſtat tamen ingenio alius alium. Concedo ut plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui ſit ſtudio nihil conſecutus. Nato igitur filio parens, ſuſcepto magiſter, ſpem de illo primùm optimam ſumat: ita diligentior uterq; de principio fiet. Aetas uerò, qua mihi præceptori puer tradendus uidetur, ſit, cum primùm inierit annum ſextum: aut, ſi ita uiſum fue-

rit,ſeptimum.non quòd ante hoc tempus domi non poßit multa doceri, ut antè dixi: ſed quòd ſchola firmiorem requirit ætatem. Nam *& ipſe* Ariſtote*les in libris de* Republica, *hanc ipſam ætatem probat.* Ante *enim hoc tempus & lingua & mente imbecillior eſt, quàm ut loqui rectè, & meminiſſe,aut intelligere quæ docentur à præceptoribus,poßit.* Itaq; *iam mihi tum literas cognoſcere,ſyllabas coniungere,& coniunctim uerba legere incipiat.* H*æc autem diſcenda erũt in illis libellis, in quibus ſymbolum* Apoſtolorum *& binæ diuinæ legis tabulæ continentur. Vbi iam mediocriter hæc poterunt,tum aſſumat noſtros de literis doctrináq; puerili libros:eiſq; primùm proponet,in quo de literis,et partibus orationis octo,partitione quadam breuiter & dilucidè præcipimus. In his ediſcendis iam memoriam exercere incipiet,& eam ad maiora capienda præparare.* Q*uod ſi quid temporis ſuperetit, id in declinandis nominibus inſumetur.* Nos *quinq; declinationũ tabulas initio libri ſecundi exhibuimus:quas ſequentes in nominibus flectendis,non poterunt aberrare.*

QVONAM PACTO PRIMA
elementa tradenda ſint.

N*On ſum tamen adeò ætatum imprudens, ut inſtãdũ protinus teneris acerbè putem, exigendamq; plenam operam.* Nam *id in primis caue-*

re opor-

ut oportebit, ne ſtudia qui amare nondũ poteſt, oderit: & amaritudinem ſemel perceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. Luſus hic ſit, et rogetur & laudetur, & nonnunquam iciſſe ſe gaudeat. Aliquando ipſo nolente doceatur alius, cui inuideat: contendat interim, & ſæpius uincere ſe putet: præmijs etiam, quæ capit illa ætas, euocetur. Quemadmodum enim medico non ſatis eſt noſſe, quod medicamenti genus ſit præſcribendum, niſi ſit etiam adminiſtrandi artifex (nam & fallendus interdum eſt ægrotus, ut beneficium uel imprudens accipiat:).

Ac ueluti pueris abſinthia tetra, medentes,
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aſpirant mellis dulci flauoq; liquore:

Qua ratione ſe Lucretius dicit philoſophiæ præcepta tradere: ſic non eſt ſatis, præceptorem eſſe doctum ac probum uirum: comitas quædam & dexteritas adſit oportet, qua & ferat ætatis quam tractat inſcitiam, & ſemet ad eius naturæ captum accõmodet, nutricum uidelicet exemplo, quæ omnia minima manſa, ut aiunt, infantibus pueris in os inſerunt. Quinq; ergo ſunt, in quibus non parua præceptori cura ſtatim intendendum eſt. Primùm, ut puer literarum formulas facie norit: tum, ut rectè ſonare: deinde, ſcitè coniungere: pòſt, promptè legere: poſtremò, eleganter pingere, hoc eſt, lite-

literas ſua manu formare. Sed quia figuræ literarum, & ſoni ſimul diſcuntur, de utroq; coniunctim præcipiam. Sunt autem oris ac linguæ plurima uitia, quorum aliquot nonnullis affinxit natura, ſed plurima peculiaris cuiq; uel negligentia, uel nimia diligentia; & putida conſectatio quædã, bonam autem huius mali partem adfert ipſa natio, ut in ſonis ſuum quæq; quiddam ac proprium habet: id quod hodie non modò in ſua cuiuſq; lingua, uerùm etiam in Latina fieri ſentimus. aliter enim Hiſpani, aliter Galli, aliter Angli, aliter Itali ſonant & pronunciant: nec una eſt in ipſa Italia pronunciandi ratio. alium pronunciandi ſonum audias in homine Calabro, & uicinæ oræ: alium in Thuſco: alium prorſus in Ligure, præſertim eorum qui Genuæ adiacent: alium item in Inſubri & Langobardo, ut uocant, nec minus diuerſum Veneti & Euganei. quanquam Italia prouincijs incorruptius ſonat, retinet enim adhuc pleraq; antiquæ pronunciationis ueſtigia, magis quàm illæ nationes quas ſuprà nominaui. Sed, eſt'ne cuiuslibet auris exigere ſonos literarum? Nõ hercle (inquit Fabius) magis quàm neruorum. nã neque hos neque illos niſi peritus diſcernet. In primis igitur uitia, ſi qua ſunt in puero, oris emendet, ut neq; expreſſæ ſint literæ, neq; oppreſſæ, ſed ſuis quæq; & natiuis ſonis enuncientur. quorundam enim uel exilitate uel craßitie nimia laboramus:

quaſ-

quaſdam uelut acriores parum efficimus, & alijs non diſsimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus. Quippe R literæ, in qua Demoſthenes quoque laborauit, L ſuccedit: & cum C, ac ſimiliter T, non ualuerunt, in g ac d molliuntur. Ne puero quidem illas circa S literam delicias hîc magiſter feret, pro qua plurimi C: rurſus nonnulli pro C, S uſurpant. quod uitium ex Gallia defluxit in Italiã. Sunt qui pro e ſecunda uocali, ie, ſecundæ præpoſita tertia, pronunciant: idq́; adeò expreſſe, ut utranq; uocalem integram percipias. Sunt etiam, qui pro iota, literam e pleniſsimum dicant, atq; eiuſdem generis alia propè infinita, quæ omnia emendare peritus ille Grammaticus conabitur. Nolo igitur exprimi literas putidius: nolo obſcurari neglig ētius: nolo uerba exiliter exanimata exire: nolo inflata et anhelata grauius, ut Cicero in tertio de Oratore ait. Hæc autem rectè pronunciandi ratio tantæ fuit ueterib. curæ, ut de ſingulis literis Iulius Cæſar dictator, & Coruinus Meſſala, non æui ſui modò oratorum, ſed ciuitatis quoq; principes, ſingulos libros compoſuerint. noſtro autem æuo Eraſmus Roterodamus, Dialogo de recta Latini Græciq; ſermonis pronunciatione iucundè ſimul & eruditè diſputauit. Extat quoq; Iacobi Ceratini de ſono literarum, præſertim græcarum, libellus, meo iudicio bonus: de ſola item aſpirationis nota, Iouianus Põtanus opus ab-

ſolutiſ-

ſolutiſſimum dedit, quæ præceptori legenda erunt. Cæterùm quo puer ſtatim per luſum cognoſcere diſcat literarum formulas, rem adfero dictu facilem, ſed tamen à ſummis uiris traditam. Profuerit eas in cruſtulis dulciculis exprimere, ut diuinanti nomen elementi, premium ſit ipſe cibus. Hoc Flacci conſilium eſt:

—Pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa uelint ut diſcere prima.

Fabius aliud indicat, quod & ſuo tempore in uſu fuiſſe indicat: ut eburneæ literarū formæ, iritandæ ad diſcendum infantiæ gratia, in luſum offerantur. quod etiam ex alijs rebus fieri poteſt, qualis eſt nucum aut talorum luſus, aut huiuſmodi aliquid, quod niſi cognitis ac nominatis elementorum uocabulis, peragi nequeat. quàm ad rem accommodatiſſimus latrunculorum ludus, quem hodie ſcaccorum uulgus appellat: ſic ut hinc Latinæ, illinc Græcæ literæ, aut ſi mauis Latinæ tantum inter ſe concurrant: niſi quod operoſior eſt, quàm ut ætati primæ conueniat: adultioribus, ſi qui (ut interdum) ſerò ad hæc diſcenda ueniant, aptiſſimus. Idem efficient munuſcula, quæ puerorū ueſtib. ornatus gratia affigūur, aut in manū dantur: ac ſi quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inueniri poteſt, quod tractare, intueri, nominare iucundum ſit. Videmus ætatem illam affici uoluptate, ſi in picturis hominis aut animan-

animãtis, alteriuſúe rei figuram agnoſcant. quo fit etiam, ut mathemata pueri propter figuras, facilè diſcãt. Simili igitur illecebra poterunt allici ad literas agnoſcendas. Mox ad ſyllabarũ connexionem progrediendum, qua in re non mediocriter peccatur à triuialibus magiſtris: dum docent ita ſyllabas diſtinguere: præ,te,ri,to: per,fec,to: om,nis: cum ita diſtinguenda fuerint, præ, ter, i, to : per, fe, cto: o, mnis. Cauebit ergo Grammaticus, ne muta cum s x g, neque m ante n, in ſimplicib. ſyllabam finiat: ne pro ti, ſequente uocali altera, ſonet ci, ut pro ſentio ſonant ſencio uel ſenzio. Etenim ut ſcribimus, ita proferendum eſt, ut peritioribus placet. præterquam in paucis, quorum ueteres meminerũt: cuiuſmodi ſunt: Caius, Cneus, amurca, Lycurgus: ubi c ſcribitur, & profertur G. quanquam ne hoc quidem omnib. probatur: de quibus in Orthographia noſtra. Mihi ſpecimen exhibuiſſe ſatis eſt: non enim doceo, ſed admoneo docturos. Quia uerò pueri in cognoſcendis elementorum figuris antecedentem ferè memoriam ſequuntur, & ordine potius quàm facie literas diſcunt, cum præceptori ſatis, adfixiſſe eas ſe pueris, recto illo quo primum ſcribi ſolent contextu, uidebitur: retro agat rurſus, & uaria permutatione perturbet: donec literas qui inſtituuntur facie norint, non ordine. quod itidem in ſyllabis, ac uocibus ipſis integris, feciſſe proderit.

Sylla-

Syllabis nullum compendium apud Latinos eſſe debet, perdiſcendæ omnes. quãquam Græci in huiuſmodi breuitatis notis & flexibus, mira uarietate laſciuiant.

DE RECTE PROMpteque legendo.

His coniuncta eſt legendi cura, cuius celeritas niſi primis ſtatim annis paretur, non temerè contingit uiris, quantumuis adnitantur. Vix autem fieri poteſt, ut lectione delectetur, qui legendo hæret ac laborat. Proinde, ut qui parum expeditè ſcribunt, ad dictandi compẽdia confugiunt: ſic qui difficulter legunt, aut in totum abſtinẽt à libris: aut ſi quid coguntur ſcire, lectorem accerſunt. In utroque perit illud ſecretum, quod præcipuè alit ingenium: ſiue tuas cogitationes mandare literis pares, ſiue aliorũ ſcripta uelis cognoſcere. Ergo ut promptè legant, primæ memoriæ non eſt temerè credendum: repetere, & diu inculcare, fuerit utilius: donec certa legendi facultas, expeditaq; conſtiterit. nec ante tempus adfectanda celeritas. Incredibile eſt, quantum moræ lectioni nimia feſtinatione adijciatur: dum auditor dubitat quid legeris: dum auribus non adſequitur, lingua properante: dum quædam intermittuntur, quædam perperam ſonantur: unde uel alijs reuocantibus, uel ipſe tibi diffidens, etiam in his quæ noſti, repetis multa: non parum diſpendij

ſecum

Digitized by Google

ſecum adfert malè captatum cõpendium. Prima *igitur cura ſit, ut attentè, ut emẽdatè legat puer.* Vt *autem idem faciat expeditè, nec cogitans, ac uelut aliud agens, dabit uſus, optimus cuiuſq; artis magiſter.* Id *quod ſcitè præcepit* Fabius? Certa *ſit (inquit) in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata uelocitas.* Nam *& proſpicere in dextrum, quod omnes præcipiunt: & prouidere etiam in ſcribendo, non rationis modò, ſed uſus quoq; ac naturæ eſt: quoniam ſequentia intuenti, priora dicenda ſunt: & quod difficillimum uidetur, diuidenda intentio animi, ut aliud uoce aut manu, aliud oculis agatur.* Quemadmodum *qui facit iter, non hoc intuetur, quod iamiam pedibus terendum eſt, ſed longius proſpicit ſemper : adeò ut quæ non uidet, etiam offendicula pedes inoffenſi prætereant.* Non *alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo ſit abſolutius os, & expreſſior ſermo, ut uerba quædam uerſusq; exquiſitæ difficultatis, ex pluribus aſperrimè coeuntibus inter ſe ſyllabis catenatos ac ueluti confragoſos, quàm citiſſimè uoluant :* χαλεποὶ *græcè uocãtur: ueluti, arx, ſtridens, roſtris, ſphinx. præſter, torridas ſpes, ſtrix, —* Iã *proximus ardet Vcalegon, Sigæa igni freta lata relucent.* Item: *Montibus audiri fragor, ac reſonantia longè*

k Littora

Littora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur. Item:

Tum rauca aßiduo longè ſale ſaxa ſonabant.

Res parua dictu: qua tamen omiſſa, multa linguæ uitia, niſi primis eximantur annis, inemendabili in poſterum prauitate durantur. Vbi uerò ad altiora peruenerit puer, ſciat ubi ſuſpendere ſpiritum debeat, quo loco uerſum diſtinguere: ubi claudatur ſenſus, unde incipiat: quãdo attollenda uel ſubmittenda uox: quid quoq; flexu, quid lentius, quid celerius, concitatius, lenius dicendum: quod demonſtrari, niſi in opere ipſo, non poteſt. Vnum eſt igitur quod in hac parte præcipiam: ut omnia hæc facere decorè poßit, in ipſa lectione frequenter ab ipſo præceptore monebitur. Nam profectus in qualibet re (ut Fabius *ait) diligentia conſtat: qua una uirtute reliquas omnes contineri, dixit de* Oratore Cicero.

BENE AC VELOCITER SCRIbendi ſtudium non eſſe contemnendum.

N*On eſt aliena res, quæ ferè ab honeſtis negligi ſolet, cura bene ac uelociter ſcribendi. pertinet enim ad* γραφικὴν, *quam olim inter artes liberales numerabant. Nam cum ſit in ſtudijs præcipuum, quoq; ſolo ille profectus, & altis radicibus nixus*

nixus paretur, ſcribere ipſum: tardior ſtylus cogitationem moratur, rudis & confuſus intellectu caret: unde ſequitur alter dictandi, quæ ex his transferenda ſunt, labor. Quare cùm in alijs generibus, tum præcipuè in epiſtolis ſecretis, & familiaribus, delectabit, ne hoc quidem neglectum reliquiſſe. Scripturam enim ineptam, eadem ſequuntur incommoda, quæ impeditam lectionem. Nam ſi uel Ciceronis Orationem ſcribat ineptus, barbaram dices, aut ineptam: quo fit, ut aut gratiam amittat quod ſcriptum eſt, aut omnino (ut ſunt moroſa quorundam ingenia) reijciatur, aut lectorem enecet tædio. Conſequitur item, ut nec doceas, non intelligentem: nec delectes, ægrè legentem: nec perſuadeas, enecto moleſtia. Quis enim diu poßit auſcultare balbutientem, cuius ſermonem difficulter percipiat? Contrà uix credi queat, quantopere commendet recta, elegans, dilucida, diſtinctaq; ſcriptura, Latinis elementis Latina uerba, Græcis Græca repræſentans. Habet enim bona ſcriptura, non aliter quàm pictura, ſuam oblectationem: ut nequaquam ferẽdi ſint, qui bellè ſcribendi ſtudium contemnunt: dicuntq; hæc ſimul eſſe in eodem non poſſe, ut quis ſcilicet bene doctus ſit, idemq; eleganter pingat literas: perinde ut ſuauiter cãtare, et egregia forma eſſe, raró in eodẽ coniuncta inueniuntur, quaſi hæc inter ſe contraria ſint, et re-

pugnantia. Quod ſi quis eorum ſcripta uidens, illis obijciat ſcripturæ deformitatem, extemplò clamitant:

Non dij, non homines, non conceſſere columnæ,
ut idem & ſapere, & rectè poßit pingere. At ego eruditißimos homines noui, quorum manus cum elegantißimis typographorum ſcriptis conferri poßet: Andream Alciatum, at quantum Iuriſconſultum: Petrum Bembum, & Iacobum Sadoletum: ex Germanis uerò, etiam Ioan. Sturmium, Georgium Fabricium: quos non minus uenuſtè literas pingere, quàm Latinè & eleganter ſcribere ſolitos, multi teſtari poſſunt. Poſſem & alios: ſed hos exempli tantum cauſſa commemorare uolui. Haud tamen negauerim fuiſſe, & etiam nunc eſſe quoſdam bene doctos uiros, quorum ſcripta niſi ab exercitatis legi nequeant. Verùm eius rei duplex eſt cauſſa: aut quòd à puero, bene ſcribere non fuerunt edocti: aut quòd mente tota & cogitatione in doctrinis defixi, de ſcripturæ elegantia nunquam cogitarunt. Hoc peruerſè ſcribendi uitio maximè laborant principes, qui regium eſſe exiſtimant, ita pingere, ut legi uix poßit: ignari, principem uirum omnia pulchra, decora, honeſta, uenuſta, maximè decere. Verùm his relictis, Grammaticum noſtrum inſtituamus. In primis curandum eſt, ut puero exemplum abſolutißimum proponatur, quod

effin-

effingat: nec quicquam uetat, quo minus idem ſit imitatu facillimum. Nam uulgus ſcribarum flexibus quibuſdam & appendicibus, ac ueluti lemniſcis, quibus uelut animi gratia laſciuiunt, multum difficultatis addunt ſcripturæ, fructus omnino nihil. Primum igitur erit, ſingulas elementorum figuras effingere, minuſculas ſimul & maiuſculas. Maiuſcularum optimum inſtar eſt in nomiſmatis & ſepulchris, alijſq; inſcriptionibus & monumentis Romanorum, quæ temporibus Auguſti, & aliquot poſt hunc ſeculis cuſa ſunt, præſertim apud Italos: nam in prouincijs, artificum imperitia non perinde reſpõdent. Eaſdem quoq; & minuſculas ſuppeditat Italia, niſi qđ ex omnib. eligẽdæ ſimpliciſſimæ: quales ſunt quæ Aldinæ, ab Aldo Manutio Romano homine, typographoq́; egregio uocantur: cuius induſtriam filij eius imitari ſtudent. Literarũ præterea exempla habentur in huius artis profeſſorum libris, ut Ludouici Vicentini Taliantis, & Vrbani Viſij Tigurini. Idem de græcis literis intelligendum eſt: nam & ijdem græcè docent ſcribere. quanquam Græcarum literarum exempla optima, atq; etiam Ebraicarum, à Roberti Stephani Alphabetis ſumentur. Decor omnis literarum quatuor potiſſimum partibus abſoluitur: figura, contextu, ſerie, & proportione, quæ græcè συμμετρία dicitur. De figura, quæ nobis probetur, iam dictum eſt: hãc tamen non

ſatis eſt puero diſcenti oſtendiſſe. proderit & partium ductum, lineasq́; commonſtrare, & quomodo parti pars adaptetur indicare. Primam *uocalem noſtram commodiſsimè pingas, ſi primum ſemicirculum ſiniſtrũ, hoc eſt c latinum ſcripſeris, extrema parte ſuperiore paululũ erecta, inferiore uerò ſurſum uerſum modicè inflexa: mox ab apice lineã deorſum duxeris: atq; in ima ſui parte dextrorſum nonnihil reflexam, hoc modò, a.* Idem *efficit o oblongum, ac in dextrum minus prominulũ, addita quam dixi linea, ſic, a.* Alpha *uerò pingas, ſi omicron dorſo læuo nonnihil prominente & tumido feceris, hoc pacto o: deinde ab illius ſummo in gyrum commodè flexo calamo, dextrum adnectas ſemicirculum, infernè paulum inflexum, ſic, α.* Item *b minutulum ſi uelis, ducenda eſt ex alto recta linea: id primum eſt. huic adnectẽda eſt dextra circuli pars, ſic ɔ: quod ſi infernè hiet, fiet h, aſpirationis nota.* Eidem *columellæ ſi addideris angulum obtuſum, ſiue lineam infractam, ſic* κ, *erit* Kappa. *rurſus eadem ſi infernè pendeat, eiq́; ſuperiore parte dextra adnexueris eundem ſemicirculum dextrum, de quo modò diximus, fiet p: ſi ad læuam, eiuſdem partis ſemicirculum, hoc eſt tertiam literam c, erit q. ſi nihil adnectas lineæ ſurſum prominenti, uidebis l, niſi quòd in ima parte modicè curuatur, quo differat*

ſerat ab Iota maiuſculo. Profuerit igitur tyrunculo, ſi literarum particulas pingi ipſe ſpectet, eo quem propoſuimus modo. Quod ſi opus fuerit, manu ſua præceptor manum pueri reget ac moderabitur, donec ad lineas literasq; pingendas firmata fuerit. Huic exercitationi ſuccedit contextus. refert enim, quam literam cui coniungas, aut contrà à qua diſiungas. Quædam enim mutuum refugiunt contactum, uelut p, o. r, n. item r et m. quædam rectè connectuntur, atq; etiam implicantur non indecorè: ut in his uerbis uidere licet, grande, facinus, flagitium traxit: in quibus, quæ quibus connectantur, in manuſcripto exemplo uidere poterit. Idem erit de alijs literis iudicium. Iam ſequitur ſeries, quæ hoc exigit, ut intra rectas lineas decurrant uerſus, ne ſcriptura ſit ſimilis Sibyllæ folijs, & ut Plautus ait, litera literam ſcandat: nihil certè hac inæqualitate deformius. Supereſt proportio, in qua bona pars artis elucet. ea ſita eſt partim in literarum particulis & flexibus: partim in lineis, ſiue haſtulis: partim in interuallis. ut, exempli gratia, A maiuſculum conſtat tribus lineis. itaque ad ſymmetriam pertinet, ut tranſuerſa linea pari interuallo à faſtigio ad baſim diſtet. Rurſus uidendum, quantum lineæ qua parte hiant in ima baſi, inter ſe diſtent:

Digitized by Google

quod ut facilius aſſequare, finge delta, ſiue trianguli ſpeciem, quæ ἰσοσκελὴς ab Euclide uocatur, cuius duo tantum latera ſunt æqualia, baſis uerò breuior, ſic △: cui ſi detrahas imam lineam, hoc eſt baſim ipſam, eamq; per medium ſectam transferas in medium trianguli, habebis Alpha, hoc modo A. Itē in B erectæ lineæ, ſeu columellæ, duo ueluti uentres adnectūtur, ſed inæquali tumore: cui ſi deſit ſua ſymmetria, offendit figura. Eadē eſt ratio in lineis, ſiue haſtulis, quarum aliæ ſurſum prominent, aliæ deorſum pendēt: quæ tantum habere debent longitudinis extra uerſus ſpacium, quantum intra. Exempli gratia, c implet rectum ſpacium: huic adpulſa linea, ut fiat q, duplo longior eo ſpacio eſſe debet, aut paulo magis. Porrò interuallū non uno modo conſideratur. nam & quod dirimit uerſum à uerſu, & quod literam à litera, & quod uerbum à uerbo, & quod inciſum ab inciſo, & membrum à membro, & poſtremò quod ambitus ipſos ſiue conuerſiones diſtinguat. Vt autem obſeruata ſymmetriæ ratio, non in ſcribendo tantum, plurimum confert: ita recta diſtinctio, credi uix poteſt quantum adferat lucis ad intelligendam ſententiam. ut non inſcitè dixerit eruditus quidam, aptam diſtinctionem commentarij genus quoddam eſſe. Expedit igitur, & huic rei ſtatim aſſuefacere puerum: ſic etiam conſuetudo uertetur in naturam,

ut uel

Digitized by Google

ut uel aliud cogitans, ſeruet tamen in ſcribendo hu iuſmodi rationes omnes, nõ aliter quàm greſſus na tura ferri uidemus. Cum uerò iam lineas, & linea= rum particulas ſequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quàm optimè inſcalpi, ut per illas ueluti ſul cos ducatur ſtilus. nam neq; errabit, quemadmodũ in chartis: continebitur enim utrinq; marginibus, neq; extra præſcriptum egredi poterit: & dum ce= lerius ac ſæpius certa ueſtigia ſequetur, firmabit articulos, neq; egebit adminiculo alienæ manus. Nã hac arte uidimus, & cæcos nonnullos promptè ſcri bendi facultatem ſibi comparaſſe. Antiquitas pri= mum in palmarum folijs, deinde in arborum codi= cibus, pòſt in linteis ceruſſa imbutis & expolitis, ac deniq; ſtylo in ceratis tabulis ſcribebat. Mẽbra= narum tamen uſum uetuſtißimum fuiße comperio. Nunc autem, quoniam calamis & pennis ſcribitur in charta ex linteis detritis & contuſis, ſolerti ar= te, eaq; commodißima & facillima confectis, alia ſcribendi ratio eſt, eaq; longè facilior. quanquã & hodie ſunt in uſu tabellæ elegantißimæ, & politiſ= ſimæ, tum ex charta, tum ex ligno, tum etiam ex la pide nigro, hæq; tenuißimæ: in quibus ſtylo nota= ta, deleri ſpõgia deletili poſſunt. hoc genus παλίμ= ψηστος appellatur Græcæ. Sed præclarus artifex uarias rationes comminiſcetur, quib. puerili ſtudio ſubueniat. Quarum una erit, ſi perfectũ exemplar,

membranæ pellucidæ ſupponatur, ſuper quã puer calamũ ducat, ſequens ſubiectas figuras. Altera eſt, ſi ſcribendi peritus ſtylo æneo ueſtigia literarũ imprimat chartæ: deinde puer per eadem lineamenta ducat pennam atramento madentem. Eadẽ erit facilitas, ſi formas præſcribas leuiter purpureas, alio'ue colore, quas puer tegat atramento. Hic prioris ſcripturæ ueſtigia coarguent, quantũ ſit aberratũ ab exemplo. Iam quidã utuntur tabulis, in quib. fila aut nerui glutine adfixa, linearum ueſtigia chartis admotis imprimunt. Sunt qui idem efficiãt regula, ſtyloq́; plumbeo. Verùm ea res ad figurarum ſpeciẽ non ita multũ confert. plurimum tamen conducit ad id, ut uerſus directis incedant ſpacijs, & ad conſenſionẽ partiũ ſupernè, infernè'ue prominentiũ. Id cõmodiſſimè fiet, ſi quatuor lineæ æqualibus interſtitijs inter ſe diſtãtes ducãtur: deinde intra duas medias, literæ nullis baſtulis armatæ, & literarum baſtatarũ corpora ſiue tumidiores partes decenter pingantur. baſtulas uerò literarũ, intra ſuũ modulum cohibebũt extremæ duæ. Eâdẽ arte licebit dirimere æquis ſpacijs uerſum à uerſu. Illud quoq; recens (ut arbitror) inuentum eſt, ut atramento ducantur ad regulam lineæ in charta planæ, chartaq́; illa ſupponatur chartæ ſcribentis: ita fiet, ut rectè ſcribat: & amota charta quæ pro regula erat, uideatur nullo adminiculo bene ſcripſiſſe. Verùm ut

his

his adminiculis prodeſt exerceri puerũ,ita nõ expedit ſemper his niti:ſed ubi iam profecerit,cõſueſcat (ut dicitur) ſine cortice nare. Iuuabit etiã in pingendi arte nonnihil puerũ exerceri. ad eam artem pleriq; ſua ſponte feruntur,diũ gaudent & exprimere quod agnoſcunt,& agnoſcere quod ab alijs expreſſum eſt. Vt autem qui Muſices periti ſunt, rectius pronunciant,etiam non cantantes: ita qui ducendis in omnem formam lineis digitos habent exercitatos,mollius atque elegantius pingunt literas.Veriſsimumq; hic etiam eſt illud,quod dici conſueuit:rectè ſcribendo fieri,ut uelociter ſcribamus: non multum ſcribendo , ut bene. Illud autem non pœnitebit curaſſe, cum ſcribere nomina puer,quemadmodum moris eſt,cœperit,ne hanc operam in uocabulis ineptis & barbaris ponat : ſed in bonis, & maximè neceſſarijs, tum Græcis tum Latinis, adiectis eregionè uernaculis & patrijs, quibus illa declarentur. Sic enim etiam aliud agens,atque inter prima elementa poterit conſequi rem poſtea proprium tempus deſideraturam.Verſus quoq; qui ad imitationem ſcribendi proponentur,ſententias habeant,honeſtum aliquid monẽtes: dicta etiam clarorũ uirorum, & electos ex poetis optimis locos (quorum cognitio pueris gratior eſt) diſcedere inter luſum licet. Proſequitur hæc memoria in ſenectutem:et impreſſa teneris animis,

uſq;

uſq; ad mores proficiet. Memoria enim præcipue firmatur atq; alitur exercitatione: et in his de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihildum ipſæ ex ſe gignere queunt, propè ſola eſt, quæ iuuare curã docentiũ poſsit. Quod ſi quis ſingula hæc tãquã pu ſilla cõtemnit, is cogitet, minutas guttulas imbrẽ pa rere: ſuperq; his omnib. meminerit, puerũ tũ legen di, tum ſcribendi rationẽ eodem ferè tempore poſſe diſcere. Rectè autem & emendatè ſcribendi præ cepta, in quintam claſſem conſultò diſtulimus.

DE SECVNDA CLASSE, QVID poſt prima elemẽta, & quomodo tradendũ.

IAm puer noſter à lacte & cunis, ad curriculum euocatur: et qui loqui primum incerta uoce ten tauit, & hæſit circa formulas literarum, iam & ſa pere, & rectius fari incipit. Ergo ubi ſonare, & le gere, & ſcribere, ut monui, ſcierint; & Gramma ticæ breuem partitionẽ ſatis tenuerint, nomina de clinare, & uerba, in primis pueri diſcant: generum uarietatem in nominibus cognoſcant: & reliqua, quæ nos ſecundo noſtræ Grammaticæ libro tradi mus. His adiunget primum Linacri, in quo de o cto partibus orationis ſubtilius tractat. Neque e nim aliter peruenire ad intelligentiam ſequentium poſſunt, niſi his fideliter præceptis. Sed hic deplo randa eſt infelicium puerorum calamitas, qui ad a liam atq; aliam quoties mittuntur ſcholam, nouam

ſubinde

ſubinde uiã diſcendi ingredi coguntur: nec erit rei tam pernicioſæ finis ullus, donec una, eaq; certa eruditorum punctis docendi ratio & lex ſanciatur, ut habeant adoleſcentuli ſtata rataq; præcepta, ubi intendant ingenium, & apertam, quam terant, uiam. Ego pro ea qua harum ætatum afficior miſeratione, quod optimum uiſum eſt, non ſum grauatus indicare. Nihil enim æquè perniicioſum duco, quàm tenella puerorum ingenia uarietate artis, immodicisq; præceptionibus ac difficultatibus obruere. μεθοδικὴ enim hæc Grãmaticæ pars dicitur, quod uiam ad altiora patefaciat. uia enim (ut Quintilianus ait) opus eſt incipientibus: ſed ea plana eſſe debet, & cùm ad ingrediendum, tum ad demõſtrandum expedita. Eligat igitur peritus ille præceptor ex omnibus facilimam: & tradat ea in præſentia quæ placent, remota diſceptandi mora. Sequuntur enim diſcipuli quò duxeris: mox cum ætate creſcit etiam eruditio. Idem primò ſolum iter credant eſſe, in quod inducentur: poſt illud cogniturì etiam alia maiora. Nam ut uites arboribus adplicitæ, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina euadunt: ſic pueri proxima quæq; atq; obuia magis amplectuntur. Quod adeò uerum eſt, ut ipſius magiſtri, ſi tamen ambitioſis utilia præferet, hoc opus ſit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non ſtatim onerare infirmitatem diſcentium, ſed temperare ui

res

res ſuas, & ad intellectũ audiẽtis deſcendere. Nã ut uaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiã reſpuũt, ſenſim aũt influentib. uel etiã inſtillantib. cõplentur: ſic puerorũ animi, quantũ poſsint accipere uidendum eſt. nam maiora intellectu, uelut parũ aptos ad percipiendum animos, non ſubibunt. Quod admonere ſuperuacuum erat, niſi ambitioſa feſtinatione pleriq; à poſterioribus inciperent: & dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſiora malunt, compendio morarentur. Atq; hoc illud eſt, cur plurimi ſæpe, robuſtiores iam facti, deſciſcant à literarum cultu atq; ſtudio omni: quia in hac prima & puerili inſtitutione neglecti, deſperant ſe deinceps poſſe ad eruditionem aliquam peruenire. Vnũ etiam ſupereſt, in quo peccatur paſsim: de quo meum Grammaticum admonendũ eſſe cenſui, antequam ad alia progrediamur. Omnes enim ferè ludi magiſtri, cum ad nominum inflexionem uentũ eſt, ita iubent pueros declinare, ut ſingulis caſibus præponant pronomen hic, hæc, hoc, ipſis caſibus & generibus accõmodatũ: uocant articulos, & generũ notas, ſiue ſigna. qua in re dupliciter peccant. primò, quòd articulos uocant, quaſi neſciant Latinam linguam articulos non habere: deinde, quòd ſigna generum eſſe uolunt, quod falſum eſt. nã ſi generũ eſſent ſigna, à uocib. nõ eſſent ſeparanda: atq; in ipſo ſermone, ut apud Græcos, inuenirentur immixta,

quod

quod non ſit, niſi uim pronominis habeant. Quid faciet puer, cum legerit,

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres:
Arboribus uenti, nobis Amaryllidis iræ.

Requiret ſuos articulos, & generũ ſigna, credo: quæ cũ non inuenerit, obmuteſcet. At poſtea generum præcepta traduntur, quibus ſine ullis notis, omnia genera in nominibus diſcernant. Quid igitur opus fuit illis ſignis, quæ ſigna nõ ſunt, cũ nihil, ubi maximè opus erat, ſignẽt? Neceſſe igitur eſt cõfitearis, eſſe inane cõmentũ, & ad fallẽdos innocẽtes pueros inuentũ. At ueteres quidam his notis ſunt uſi. Verũ: ſed nos, quid ratio, quid utilitas puerorũ poſcat, magis quàm ullius autoritatẽ ſpectare decet. Hæc igitur tanquam ſuperuacanea, et remoras ingeniorũ, ille meus è ſua ſchola profligabit: et nomina pueros per caſus uariare, ſine illis nugis iubebit: mox modos omnes cognoſcendorũ generũ cõmonſtrabit.

AN CAEDENDI SINT DISCIPVLI: & quomodo, & qui, & quas ob cauſſas.

CAedi uerò diſcẽtes, quanquã & receptũ ſit, et Chryſippus nõ improbet, minimè uelim. Primùm, quia deforme ac ſeruile eſt: & certè quòd cõuenit, ſi ætatẽ mutes, iniuria. Deinde, quòd ſi cui eſt mens tam illiberalis, ut obiurgatione nõ corrigatur: is etiã ad plagas, ut peſſima quæque mãcipia, durabitur. Poſtremò, quòd nec opus erit quidẽ hac

caſtigationē, ſi aſsiduus ſtudiorum exactor adſtiterit. Nunc ferè negligentia pædagogorū ſic emendari uidetur, ut pueri non facere quæ recta ſunt cogantur, ſed cur non fecerint puniantur. Deniq; cū paruulum uerberibus coegeris, quid iuueni facies, cui nec adhiberi poteſt hic metus, & maiora diſcenda ſunt? Adde quòd multa uapulantibus dictu deformia, et mox uerecūdiæ futura, ſæpe dolore uel metu accidunt: qui pudor refringit animū, & abijcit atq; ipſius lucis fugam & tædium ſuadet. Iam ſi minor in deligendis cuſtodum & præceptorū morib. fuit cura, pudet dicere in quæ probra nefandi homines iſto cædendi iure abutantur: quam det alijs quoq; nonnunquam occaſionem hic miſerorū metus. Nō morabor in parte hac, nimium eſt quod intelligitur. Quare hoc dixiſſe ſatis eſt, in ætatem infirmam, & iniuriæ obnoxiam, nemini debere nimium licere. hæc Quintilianus. Hic mihi cachinnū tollet Grammatiſta quiſpiā ex iſto ordine, qui Alexandri doctrinale pueris ſolet prælegere, clamitabitq;, hoc modo diſciplinam omnem è ludo explodi: peccandi licentiam non ſolum admitti, uerùm etiam pertrahi. Quid ais bone uir? tu nihil putas ſcholæ conuenire, niſi plagas et eiulatus? nec aliā erudiendæ pueritiæ uiā noſti, quàm uerbera & flagra? Fabius, haud uulgaris formandæ pueritiæ artifex, non uno in loco præcepit, iuuenum ſtudia nō

aſperitate

aſperitate deterrenda, ſed blandis applauſibus, moderatisq́; laudibus alenda, atque exacuenda: uultq́; doctorem in parentis abire affectum. Contrà, diſcentes præceptorem non horrere ut carnificē, ſed obſeruare ueluti parentem. Nec eſt obſcurum quid ſibi uelit Horatianum illud,

— Pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa uelint ut diſcere prima.

Itē quod Mitio apud Terentiū ait: Pudore enim & liberalitate liberos retinere, ſatius eſſe credo quàm metu. At cōtrà hic Arcadicus quiſpiam aſinus, leonis indutus exuuio, cum & indoctior ſit, quàm ut admiratione ſui pueros habere poßit attentos: & inſuauior, quàm ut à quoquam poßit amari, uel amare ipſe quenquam: tumultuoſa carnificina exanimat pueros ingenuos: & quos neq; meliores poteſt reddere, quippe ſtultus, & improbus: neq; doctiores, ipſe indoctißimus, flagris excarnificat miſeros, clamoribus & contumelijs obtundit, ut optimis illis annis ſine fruge contritis, magnam crudelitatis ſuæ mercedem percipiat. Vtinam tibi ſacrilege, dignus tuis factis honos aliquando contingat, ut è ſcholis, in quibus nihil aliud es quàm canis in balneo, rus extrudaris: aut ſtiuæ, cui natus es, adligandus: aut ſi omnino ſine imperio eſſe non potes, boues & aſinos iſta tua ferali uoce territaturus. Tu'ne audes ô Clurinum pecus (ut Plauti uerbo

utar) docendi literas occupare munus, cũ ipſe nihil unquã didiceris? Tu'ne audes carnifex, bene natos & ingenuos adoleſcẽtes laniare flagris, quos citius occidere poßis, quàm docere? Tu'ne in eo loco quẽ Græci ab ocio σχολὴν, *Latini à uoluptate ludũ appellandum cenſuerunt, pluſquam Neronianã tyrannidem exerces? Tu'ne hominis mõſtrum, ab ijs etiã mercedem, ſi ſuperis placet, exigis, de quibus peius ſis meritus, quàm ſceleſtus ille Faliſcorum literator de Faliſca iuuẽtute? Siquidẽ ille clam eos prodebat: tu palàm & cõfidentißimè prodis & perdis bonæ ſpei pueros. Ille clementi hoſti tradidit, ueluti pacis obſides, à quo ſunt etiã citra fraudẽ reſtituti: tu hoſti crudelißimo teterrimoq; uenditas, uidelicet inſcitiæ, à qua fermè nullus elabitur, qui ſemel in illius ius uenerit. Sed efferri me uideo lõgius, dolore iuſtißimo quidẽ illo, utinã perinde utili. Regnare iã paßim uideas Orbilios iſtos, plagoſum et indoctũ Grãmatiſtarũ genus: antra illa, in quib. deblaterãt, ferreos ceu Eumenidũ thalamos, miſero eiulatu undiq; audias perſonare: & credimus iſtam cædendi cõſuetudinẽ Quintiliano, uiro tũ prudẽti, tum erudito, adde etiã caſtißimo, nõ ſine cauſa tantopere diſplicuiſſe? Et quod ille à Chriſti inſtitutis alienus, ut ſæuum ac pernicioſum exploſit: nos Chriſtiani libenter etiam recipimus, non ſolũ in paruulos, uerùm etiã in ætatẽ penè uirilẽ, ſæuitiã exercẽ-*

tes?

tes? Quod ſi Orbilio iſti cõpotatio obtigerit paulo largior, iam pueris etiã imminet uitæ periculũ. Rideatur hoc, niſi noſtra ætate ſint exẽpla infœliciũ, quos doctoris temulenta ſæuitia plagis necauit: id quod et literis ab erudito uiro Friderico Nauſea, de ſuomet fratre eo modo necato, proditũ eſt. Sed hãc uerberandi cõſuetudinẽ, in puerorũ ingenia trãsferunt: qui ut Phrygum mancipia, niſi plagis cõciſi, non emendantur. At quo tandem ore, cedò bellua, tu flagris à pueris officium diſcipuli exigis, cum tu doctoris officium non præſtes? Effice ut meritò te amet grex tuus: ut admiretur primùm eruditionem, deinde te quoque eruditionis gratia: poſtremò utrunque alterius cauſa. Quod ſi nec amari potes homo odioſus, nec admirationem meretur triuialis iſta atque Opica doctrina, uel inſcitia potius, quid etiam in ludo ſedes ſus Bœotice? Sin ueterem optimumq; morem tuo damnas inſtituto, age profer iſtos egregios artifices, quos tu nouus magiſter ſic inſtitueris, ut cũ ueterũ uel infimo comparari poßint. Quod ſi qui ſunt ad literas indociles pueri, præſtat eos ablegare rus, ac parentibus reddere. Sed interim magiſtro noſtro detrahitur quæſtus: & ideo bonum uirum (ut ſæpius dico) oportet eſſe, qui ſuſcipiat iuuentutem erudiendam. Verùm iſtis non alia ratio eſt, quàm ty-

rannis, qui malũt imperio quàm æquitate retinere populũ: nõ quod illud melius ſit, ſed quod hoc difficilius. Sed nũquid omnino nulli ullo modo, ullá ue cauſa ſunt cædẽdi? Minimè gentiũ hoc dicimus. Sed neq; Fabius ipſe ita intelligi uoluit, cum ſciret ab omnibus ſapientibus præceptũ, ut pueri uerberibus ad uirtutem (ſi aliter non poſſent) cogerentur: ſed ut pleroſq;, qui in nefanda probra hoc cædendi iure (ut ipſe ait) abuterentur, reprimeret: omniaq́; prius experiri quàm flagris uellet. Seueris obiurgationibus, cibi potusq́; ſubtractione aliqua, aut pecuniola delinquentes mulctare præſtat: quæ pecunia in quem uſum uertenda ſit, pòſt dicemus. Verùm ſi quis ea quæ nos præcepimus, in tractandis puerorum ingenijs obſeruauerit, exiguum profectò erit, quod plagis emendandũ relinquatur. Ergo prudẽs præceptor, etiamſi ob grauem aliquã cauſam puer uapulare debeat, rationem tamen habebit tum ætatis, tum imbecillitatis: nec quẽquam leui de cauſa cædet, neq; immodicè, neq; ira percitus. Nunquam enim iratus qui ad pœnam accedet, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimiũ et parum. Quamobrem moderatè Philoſophus quidam, qui, Punirẽ te, inquit ſeruo, niſi iratus eſſem. Nõ minabitur, niſi res ipſa uehemẽter flagitet: nec contumelias aut conuicia (ut quidam ſolent) iaciet in diſcipulos, quæ res ſpectat ad iniuriam. omnis

enim

Digitized by Google

enim caſtigatio & obiurgatio contumelia uacare debet, & admonitio acerbitate. In obiurgationibus tamen utendum nonnunquam & uocis contentione maiori, & uerborum grauitate acriori. Poſt minas niſi obtemperauerit puer, uirgas adhibeto: ita fiet, ut minas & obiurgationes diſcant non contemnere, ſi quidē eas opportunitati reſeruaueris, quæ rebus omnibus pondus conciliat. Ille igitur mihi præclarus artifex erit, qui ignoſcendi nouerit retinere modum, & puniendi.

DE CENSORIBVS, ET CENSORIA nota, ſeu tabella morum & Latini ſermonis, in ſcholis ſeruanda.

VRbis antiquum morem de cenſoribus & cēſura, nō abſonum fuerit in ſcholis renouare: cum & ludus ipſe literarius ciuitas quaſi altera ſit, proinde nec ciuili regimine carere debet. Nec me latet, multiplices de notandis puerorum dictis, factiſq́;, tabellas in ſcholis paßim agitari: ſed corrigenda ſunt, quoquo modo fieri poteſt, quæ in deterius conuerſa induruerunt. Sunt, qui ob huiuſmodi tabellas, pueros flagris excarnificent. Sunt qui, ſi dijs placet, ex ea quæſtum faciant, dum normæ, quam uocant, præceptor auctionem cōſtituit: dum licitator uiolentus illam arripit, preciumq́; præceptori numerat: iſq; interim Corycæus factus, diſcipulis inſidiatur, nunquam non ſubſidet, quo

ſortem reficiat, & redintegret, ſeu potius augeat. Quod ſi quid ad ſortem deſit, iam quoq; iure quáque iniuria, quoſcunque notat: imponit periculis precia: nihil penſi, nihil moderati habens. Hæc ego corrigenda ſic eſſe cenſeo. Creabit præceptor duos cenſores, & morum magiſtros, non quoſuis, ſed ſpectatæ probitatis & fidei: apud quos ſumma ſit cenſendi, hoc eſt in tabellam referendi puerorum errata, authoritas. Hi uerò tantiſper cenſuram retinebũt, dum præceptori uiſum fuerit: tamdiu uerò præceptori uidebitur, quandiu nemo his melior in ſcholis reperietur. Hi ſeptimo quoque die tabellas magiſtro exhibebunt: qui ſingulis diligenter perſpectis, quoſdam diſsimulabit, utpote de rebus leuiſsimis notatos: alios obiurgabit ſeuerè, nonnullos monebit leuiter. erunt fortaſsis aliqui, ob grauiora quædam, flagris cædẽdi. nec aberunt, quos pecuniola mulctare liceat: quæ ad eos ipſos reditura eſt, eo modo quem, cum de puerili diſputatione agendum erit, proponam. Quæ autem potiſsimum à cenſoribus notanda putem, hæc ſunt ferè: Si quis uernaculo ſermõe, in ſchola præſertim (præterquam primæ claſsis diſcipuli) utatur: obſcœnum aut contumelioſum uerbum: iurãdi leuitas: mendacium: ſi quis hominem grauem, ac dignitate aliqua præſtantem præterierit, nec caput nudarit, aut honore affecerit: ſi (niſi cauſa urgente) per

uiam

niam curſitauerit, aut lapides iactauerit, uel ioco: ſed tum maximè notandus erit, qui aliquem quouis modo percuſſerit: & pleraque his ſimilia, quæ prudens doctor excogitauerit. Sed de præceptoris & diſcipulorum officijs præſtat aliquid ſeorſim dicere.

DE OFFICIIS PRAECEPTOris ac diſcipulorum, quædam.

Q*Vanquam totus hic liber nihil niſi officia* Grammatici *præceptoris continet: quædam tamen ſeorſum præcipienda reſtabant, quæ nuſquam commodius quàm hoc loco tractari poterat. Rurſum quia diſcipuli ſua non norũt officia, niſi à præceptore moneantur, de illis quoq; coniunctè tractandũ fuit: neq; enim expectare debebit, ut ſuopte ingenio officia ſuſcipiant, quum hominẽ ſcire nihil ſine doctrina (ut in* Naturali *hiſtoria* Plinius *aſſerit) natura uoluerit: non fari, nõ ingredi, non ueſci: breuiterq; nõ aliud naturæ ſponte, quàm flere. Sumat igitur ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos affectũ, amabit uere atq; ex animo tanquã ſuã fœturã. An uerò plus in homine gignendo cõfert, qui corpus, quàm qui animũ mentẽq; ſalutaribus præceptis cõformat? Minimè uerò.* Tanto *igitur præceptor eſt parens uerior, quanto uerius ex animo eſt homo, quàm ex corpore.* Neque *enim ex corpore homines ſumus, quod cum brutis ha-*

bemus commune: ſed ex mente atque intelligentia, qua parte Deo ſimiles ſumus. Ea de cauſſa Alexander Macedo plus ſe Ariſtoteli debere fatebatur, quàm Philippo: quòd ab illo corpus, ab hoc mentem, qua rectè uti poſſet corpore atq; alijs rebus, haberet. Paulus Tarſenſis, quos uera pietate imbuiſſet, eos ſe ait genuiſſe. Sed erit paternus hic amor, non cæcus: uerùm uidens, & quidē acutè: ut omnia quæ ſunt in diſcipulis uel corrigenda, uel mutanda, circumſpiciat. Et quia in ſcholis uariæ ſunt ætates, & animi diſcentium, maiora adhibenda cura eſt, ut teneriores animos ab iniuria ſanctitas docentis cuſtodiat, & ferociores à licentia grauitas deterreat. Neque uerò ſat erit, ſummam ipſum præſtare probitatem, niſi diſciplinæ ſeueritate cōuenientium quoque ad ſe mores aſtrinxerit. Eſt quidem pueris remiſsior magiſter iucundior: ſed in poſterum gratior erit, qui ſeuerior. Ipſe nec habeat uitia, nec ferat: non ſit auſteritas eius triſtis, nō diſſoluta comitas, ne illinc odiū, hinc contemptus oriatur. nimia enim familiaritas (ut eſt in Comœdia) cōtemptum parit. Pueri perſuaſum habeant, quæ in ſcholis traduntur, ad cultum animi facere, id eſt partis melioris, ac immortalis: eū cultum à Deo eſſe humano generi maximo munere ac patria indulgentia traditum, nec ab alio dari potuiſſe. Sic fiet, ut huiuſmodi cultum, & ut ſibi neceſſa-

Digitized by Google

neceſſarium ament, & ut ſacroſanctum ac cœlitùs miſſum uenerentur. In ſcholas tanquam in templa uenerabundi introeant: ubi conuenerint, uel ipſe præceptor, uel quem ipſe iuſſerit, clara uoce precetur: reliqui animo eius uocem ſequantur. Veſperi cum dimittuntur, gratiarum actione diem & operas claudant: quod Chriſtiana ſchola eſt et dignum, ac debitum. Quocirca, quantum præſtari poterit, dabunt magiſtri operam, ne gymnaſia ſua uel uileſcere ſinant luſibus, uel cõtaminari flagitijs, uel obſcœnis fabulis. Mores enim bonos colloquia corrumpunt mala, ut Paulus ex Menandro citat. Magiſtros non aliter amabunt, colent, ſuſpicient, ac miniſtros munerum Dei, & genitores animorum. Incredibile eſt, quàm hæc pietas conferat ſtudio. Nam & libenter audient, & dictis credent, & eſſe ſimiles concupiſcent. Indicandum, quantæ ſequantur ſtudia utilitates, quàm ſolidæ, quàm perpetuæ, quàm diuturnæ uoluptates: quibus nullæ omnino ualeãt comparari. Nam cætera omnia, neq; locorũ, neq; ætatum omnium, neq; temporum ſunt: hæc ſtudia ruſticantur nobiſcum, peregrinantur, pernoctant: non impediunt foris, delectant domi: ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent: adoleſcentiam agunt, oblectant ſenectutem. Commemorabit etiam, quot, quæue peſtes ex ignorantia naſcantur: quas omnes ad res, non cuilibet

non ampliſsima ſuppetere tum ſententiarum tum exemplorum copia poteſt. Habebit præceptor communes aliquot locos breues, ac ueluti ignea iacula, ex omnibus quibuſcunq; autoribus: tum maximè ex diuinis literis, aduerſus ſingula uitia, quibus illa ætas infeſtatur, quam inſtituendam formandamq́; recepit, ut uitium in odium & contemptum adducat. Quatuor, aut ſummum quinque horas præceptorem docere, ſatis eſſe iudico. ſed non pauciores quàm quatuor: quæ pro ordinum ratione, & temporum, erunt impertiendæ. Oriente ſole, pueri ad magiſtrum proficiſcantur: quoniam nec pecudes, nec alia prorſus ulla, ſine paſtore uiuere debent: nec pueri ſine rectore, cum ſint natura petulantiſsimi. In ipſos deinde cœtus ſcholarum læti & alacres, ſed ſine tumultu, conuenient, & quieſcent: emendati non iraſcentur, laudati gaudebunt: ut ſint chariſsimi, ſtudio merebuntur. Nam ut præceptorum officium eſt, docere: ſic diſcipulorum, præbere ſe dociles: alioqui neutrum ſine altero ſufficit. Et ſicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur: & fruſtra ſparſeris in ſolum ſemina, niſi illa præmollitus fuerit ſulcus: ita doctrina coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis accipientiſq́; concordia. Loquentur primùm ſua lingua pueri, quæ illis domi nata eſt: in qua ſi quid peccent, emendabit præceptor, huiuſcemodi lin-

guæ

guæ non ignarus. Dehinc paulatim aſſument ea, quæ de præceptore hauſerint, uel ipſi legerint: ut ſic ex uernaculo ſermone ſenſim tanquam in Romanam ciuitatem deducantur. Curabit igitur ipſe præceptor, ne ullum uerbum ex ore ſuo excidat, à puritate Latini ſermonis alienum. Itaque monebit tyrones, ut fidant magis præceptis et exemplis, quàm uel conſuetudini, uel iudicio ſuo: quæ duo in eiuſcemodi ætatibus eſſe non poſſunt. Senſim adcreſcet uſus, & linguæ cognitio: conabuntur mentis omnia cogitata Latinis uerbis eloqui. Nihil eſt enim quod æquè ad percipiendam linguam ualeat, atq; uſus. Quod ſi quis loqui erubeſcat, huic linguæ eſt facultas deſperanda. Qui poſt annum quàm incœperit inſtitui, latinè recuſabit loqui, multetur. Nauabit puer operam, ut effingat uerbis ac ſermone tum præceptorem ipſum, tum autores optimos, quos præceptor ei indicauerit. Cum ijs qui corruptè loquuntur, conſultius eſt uulgari lingua pueros ſermocinari, ex qua non poſſit haurire contagium. Simplex erit in docendo magiſter: nihil quod proſit, diſcipulos celans: patiens laboris, aſſiduus potius quàm immodicus. Interrogantibus libenter reſpondeat: non interrogantes, percunctetur ultrò. Audiat, & uiciſſim audiatur attentè, ac modeſtè, ſiue loquitur,

ſiue

ſiue interpretatur. Audiet itaq; puer attentè, & intuebitur præceptorem: niſi cum inſpiciendus erit liber, aut ſcribendum. Eſt enim ſenſus diſciplinæ, auditus. nam quæ animantes eo carent, diſciplinæ capaces non ſunt; nec quicquam eſt ad diſciplinas aptius, quàm multa audire, ſed ordine, & attentè. quà de re circumfertur hoc elegans diſtichon:

Per patulas rimas ſol lucens intrat in ædes;
Corda per auriculas dogma docentis init.

Quæcunq; à doctore acceperint, credant eſſe mera oracula. Celebratur philoſophi dictum: oportere diſcentem credere. Vnde etiam illud Pythagoræ diſcipulorum, Ipſe dixit: ipſe autem erat Pythagoras. Sibi perſuadeant, quod reuera eſt, nihil ad ampliſsimam eruditionem perinde conferre, ut et multa & multum ſcribere, multum atramenti & chartæ perdere. Itaq; mandabit diſcipulis, ut ſinguli librum uacuum, aut plures, ad ea excipienda, quæ ex ore præceptoris acceperint, habeant: in cuius parte una, reponent uerba ſeparata & ſingula; in altera, proprietates loquendi, atq; idiomata ſermonis, uel uſus quotidiani, uel rara, uel non omnibus nota: in alia parte, hiſtorias: in alia, fabulas: in alia, dicta & ſententias graues: in alia, ſalſas & argutas: in alia, prouerbia: tum eodem ordine ſeparatim, uiros illuſtres, inſignes urbes, animantes, ſtirpes, fontes, flumina, gemmas: locos item autorum difficiles, non-

dum

Digitized by Google

dũ ſolutos nodos, & huiuſcemodi innumera, ſiue ea audierint, ſiue ſint ſtudio conſecuti ſuo: primò ſimplicius, deinde cum ipſo profectu accuratius, & ornatius, in ſuas ueluti ſedes et domicilia collocabunt, non uulgarem utilitatem ſuo tempore frugemq; relaturi. Quomodo deceat agere in templo, quomodo in uia, in ſchola, in menſa: in corporis cultu, ac mundicie, in congreßibus, in iocis & luſionibus, domi & foris: quomodo incedendum, ſtãdum, ſedendum, aſſurgendum. in ſumma, ut decori ſemper meminerint, & uerecundiæ, diligentißimè curabit. Cum his noſtris præceptis iungantur ea, quæ de cõtubernalibus diximus. Hæc igitur mihi notanda breuiter uiſa nunc ſunt, non quia nihil addi poſſit ad puerorum utilitatem & diſciplinam: ſed ut hæc tanquam præcipua uiam poſſent ad alia aperire, quæ prudentiæ doctoris relinquimus: qui ſi talis fuerit, qualem optamus, accommodas maximè, ut bonus νομοθέτης, leges ferre ſciet. Siquidem in ſchola præceptor, tanquam pater in familia, aut rex in ſuo regno, liberum imperium in diſcipulos habet. Quare frequenter eum illa carmina ſecum reputare oportebit:

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

PRAECEPTOREM DEBERE PIEtatem, & Christianæ religionis ſummam, diſcipulos docere.

IN *tribus hominum ordinibus præcipuè ſitum eſt, Chriſtianæ religionis uel inſtaurandæ, uel augendæ, uel ſeruandæ negotium : in Epiſcopis, Eccleſiarumq́; doctoribus : in Regibus, atque alijs magiſtratibus : & poſtremò in ijs, qui primam illam ætatem ad omnia ſequacem inſtituunt, ludi magiſtris : quos ſi omni abiecta cunctatione, contingat ex animo ſinceræ religioni & bonis artibus fauere, propediem uiſuri ſumus uerum, & (ut Paulus ait)* γνήσιον *Chriſtianorum genus, quod Chriſti philoſophiam non ceremonijs tantum, & contentionibus, ſed ipſo pectore, totaq́; uita referat. Non igitur alienum à ſuo officio putent Grammatici præceptores, in his literis pueros erudire, quæ ſacræ atque Euangelicæ uocantur. Nam & patres ſunt eorum, quorum curam ſuſceperunt, & quidem (ſi Quintiliano credimus: quod utiq; ita eſſe, ſuperiori capite oſtenſum eſt) mentium, non corporum: hoc eſt, rei in homine præſtantiſſimæ. quare & mentes præſtantiſſima doctrina, hoc eſt Euangelica, pro ætatis modulo ab illis imbuendæ ſunt. Debent enim ſtudia Chriſtianorum omnia ad pietatem, hoc eſt Dei cognitionem, cultum, & honorem, hominumq́; utilitatem referri.*

Nec

Digitized by Google

Nec mihi quiſpiam dicat, pueros in hoc occupari nõ oportere (ait ſanctus ille grauiſsimusq; uir Chryſoſtomus, cuius quæ modò ſubijciam ſunt, ex Homelia in Ioannem ſecunda) non enim tantum (inquit) opus eſt ut his uacent admonitionibus, uerùm etiam ſolis. Imbecillitatis tamen noſtræ gratia, non hoc dicimus: neq; eos à caducis terreniſq; rebus, quemadmodum neque uos à ciuilibus negotijs abducimus. Atqui è ſeptem his diebus, unum ad cõmunis omnium Domini cultum ſeruitiumq; ſeponendum, meritò hortamur. Non' ne ridiculum eſt, ut ſeruulos noſtros, in noſtris ſemper negocijs occupatos uelimus: nos uerò nullũ Deo exhibere ſeruitiũ? præſertim cũ noſtra omnis ſeruitus nihil ei quicquã cõferat. Deus enim nulla re indiget, ſed ad noſtrã redũdat penitus utilitatem. Vos autem ad ſpectacula filijs adductis, neq; ad doctrinam, neq; ad ullam bonã frugem eos unquam hortamini. Verùm ſi quid ſanctum, ſi quid diuinum comparandũ cogendumúe fuerit, inanem id appellatis ſolicitudinem: non' ne iram Dei in uos meritò prouocatis? cum cæteris reb. & certo tempore, et diligẽti cura adhibita, incũbere iubetis: in diuinarũ uerò rerũ doctrina pueros exerceri, moleſtũ intempeſtiuũq; ducitis. Non ſic, non ſic inquã, fratres dilectiſsimi. Hæc ꝑfecto ætas his maximè admonitionib. indiget: tenera eſt, et citò quæ ei inſtillãtur imbibit, et audita accipit, tanq̃ ſigillo auditus ceræ,

hoc

,, *hoc eſt puerorum animis impreſſo.* Præterea *& ui*
,, *ta eorum in auditu eſt : & in ipſis ferè annis, ut*
,, *uel ad uirtutẽ uel ad uitia facilè flecti poſſit. ſi quis*
,, *igitur eos ab ipſis incunabulis, & quaſi uitiorum*
,, *ueſtibulis ad uiam uirtutis abſtraheret, atq; ad re-*
,, *ctũ uiuendi uſum uocaret, in eoq́; cõfirmaret, quaſi*
,, *mutata natura, haud ita facile in deteriora prolabe*
,, *rentur, eiuſcemodi à teneris aſſuetudine eos ad uir-*
,, *tutem trahente.* Hoc *enim pacto & maiores diligen*
,, *tius obſeruarent, & reuererentur: eiſq́; ciuilibus in*
,, *rebus, utilioribus uteremur, ſiquidem ab ineunte*
,, *ſtatim ætate ſeniorum mores edocerentur.* Neque
,, *enim fieri, ut ita dicam, poteſt, qui his aures adhi-*
,, *bet, ſeq́;* Apoſtolicis *admonitionibus alacri animo*
,, *accommodat, quin incredibile quoddam bonum, ſi-*
,, *ue uir ſi mulier, ſiue iuuenis ſiue ſenex, huius doctri*
,, *næ particeps conſequatur.* Hæc *ille.* Diſcant *igi-*
tur ita magiſtri, diſcant pueri: inſtillent ea doctores diſcipulis: Chriſtum *prima ſonet balbuties: ex hu-ius placitis prima formetur infantia: quem ita cum primis tradi cupiam, ut à pueris ametur: quo fiet, ut tacitis auctibus, actis & firmatis in corde radicib. ab eo nunquam diuelli queant.* Neq; *enim fruſtra commendat* Paulus Timotheum *ſuum, quòd à puero ſacris eſſet literis imbutus. Sed quid uerbis opus eſt?* Quanta *debeat eſſe diuinæ legis cura in erudiendis liberis, oſtendunt cùm ſacra omnia uolumina, tum*

Digitized by Google

na, tũ maximè liber qui uocatur Deuteronomion, & prouerbia illa Solomonis, pueris ex compoſito conſcripta: in quibus nullum ferè uerbum eſt, quod pueros ad diuinæ legis lectionem & obedientiam non inuitet: quæ ſemper in manibus puerorum habenda ſunt. Sic igitur ille meus faciet: die illo, qui, quod Domino noſtro IESV CHRISTO conſecratus ſit, antiquo Chriſtianorum ritu Dominicus appellatur, diſcipulos ad ſcholam conuenire iubebit, antequam in templum eant: ibiq; primùm Deum precatis, præceptor paruulis inſtitutionem Chriſtianæ religionis puerili educationi confectam, diligenter tradet, ſed ex diuinarum literarum puriſsimo fonte hauſtam, ſua cuiuſq; gentis lingua. Poſſet etiam aliquid uel ex Solomone, uel ex Paulo, uel alio quopiam ſacrorum librorum, explicare. Interdum Lactantij diuinas inſtitutiones, quod uehementer probo: non quod illum autorem ſacris illis præferendum cenſeam, ſed quia his ætatibus ob Latini ſermonis puritatem, tum etiam diſſerendi acumen, uariamq; eruditionem accommodatus eſſe uideatur. et licebit alternis uti, ut huius diſputationes illorum autoritate roborentur: & uiciſsim illorum diuina ſeueritas, huius uenuſtate leporeq; dulceſcat. Verùm ubi lectionem enarrarit, præcipuos lectionis locos prudens doctor ſummatim colliget, eoſq; auribus diſcipulorum inſtillabit: efficietq;, ut

memoriter illuſtriores locos & ſententias, eorum quæ audiuerint, ediſcāt: ipſeq́; uel eius in ſchola adminiſtri, ſiue collegæ, quàm rectè ea teneant, explorabunt interdum. Quod ſi Plato, Ariſtoteles, Xenophon, Tullius, Medici, Iuriſperiti *ad confirmationē ſententiæ ſuæ, ex* Homero, Vergilio, *cæterisq́ uatibus teſtimonia ſumunt: quanto congruentius eſt, nos ab oraculis* Dei, *non teſtimonium ſolū, ſed ſupremam autoritatem repetere, in qua falli nemo poßit, cum eius ſapientiæ autoritas ſit certißima regula, ad quam reliqua omnia exigi debeant.* His o*mnib. peractis, eos in templum, cœtumq́; ſanctum* Chriſtianorum, *uel dimittet: uel ut in pleriſq́; locis moris eſt, ipſe præceptor binos aut ternos præcedentes ſequetur: quod quidem ualde probo, ut ſuas paſtor oues agat in paſcua.*

TERTIA CLASSIS: ET DE DELEctu ingeniorum, & quibus ſignis dignoſcantur profecturi: tum ut quiſque tractandus ſit.

ANtequam ad tertiam decuriam transferantur pueri, conſiſtendum eſt: & ingeniorum delectus, ut boni imperatores cum bellum apparatur, facere conſueuere, à præceptoribus habendus. Nam *eſt in hoc incredibilis quædam uarietas, nec pauciores animorum habitùs penè, quàm corporū formæ.* Alius *enim ad ſolutam magis erit idoneus, alius ad pedeſtrem orationem et carmen: alius ſtudi-*

um

um iuris adamabit, alius ad mathemata aptior: ac nõnulli rus fortaſſe etiã ablegandi. Ita hæc diſpiciet Grammaticus magiſter, quomodo palæſtræ peritus aut curſorem, aut pugilem, aut luctatorem, aliudúe quid, in palæſtricis ludis. Non ſolũ autem quo quẽque natura maximè ferat, notandum eſt, ſed etiam ſigna indolis uel bonæ uel malæ in diſcẽtibus ſpectãda ſunt. Bonæ indolis pueros dicimus, qui effigie ipſa oris, et geſtu, cæteriſq; motibus, ſpẽ de ſe bonam polliceri uidentur. Vergilius indicauit notas, quib. colligere poſſis bouem aratro idoneum, aut uaccam armento propagando aptam.

— Optima toruæ Forma bouis. —

Docet item, quib. ſignis deprehendas pullũ equinum, Olympicis certaminibus idoneum futurum:

Continuò pecoris generoſi pullus in aruis
Altius ingreditur. —

Neq; nos putemus minus pueris ineſſe huiuſmodi notas. Quidam ex hora & die natiuitatis, quem ὡρόσκοπον uocant Mathematici, ſolent talia prædicere: quorum iudicio quantum ſit tribuendũ, cuiq; liberũ facio. Equidem non arbitror prorſus eſſe uanũ, ex oculis, uultu, fronte, reliquoq; corpore naturam cuiuſq; cognoſci. Ariſtoteles quidem, tantus philoſophus, non eſt grauatus περὶ τοῦ φυσιογνωμονεῖν opus edere, nec indoctũ, nec aſpernandũ: & poſt eum alij quoq; nonnulli, eruditione præſtãtes.

Erit igitur utile hæc ſtatim in pueris obſeruari, ne inanem laborem inſumamus. Nam *ut commodior eſt nauigatio, quum & tempeſtas fauet, & aſpirāt uenti: ſic omnes ea facilius agimus & tractamus, ad quæ natura propenſi ſumus.* Ingenij *ſignum in paruis præcipuum, memoria eſt.* Eius *duplex uirtus: facilè percipere, & fideliter continere.* Proximum *imitatio. nam id quoq; eſt docilis naturæ: ſic tamen, ut ea quæ diſcit effingat, non habitum fortè, & inceſſum, & ſi quid in peius notabile eſt.* Non *dabit mihi ſpem bonæ indolis, qui hoc imitandi ſtudio petet, ut rideatur.* Nam *probus quoque in primis erit ille uerè ingenioſus: alioqui non peius duxerim tardi eſſe ingenij, quàm mali.* Probus *autem ab illo ſegni & iacente plurimum aberit.* Hic *meus, quæ tradentur, non difficulter accipiet. quædam etiam interrogabit: ſequetur tamen magis, quàm præcurret.* Illud *ingeniorum ueluti præcox genus, non temerè unquam peruenit ad frugem.* Hi *ſunt, qui parua facilè faciunt: & audacia prouecti, quicquid illic poſſunt, ſtatim oſtendunt.* Poſſunt *autem id demum, quod in proximo eſt. uerba continuant: hæc uultu interrito, nulla tardati uerecundia, proferunt: non multum præſtant, ſed citò: non ſubeſt uera uis, nec penitus immiſsis radicibus nititur: ut quæ ſummo ſolo ſparſa ſunt ſemina, celerius ſe effundunt: & imita-*

Digitized by Google

tæ ſpicas herbulæ, inanibus ariſtis ante meſſem flaueſcunt. placent hæc annis comparata: deinde ſtat profectus, admiratio decreſcit. Hæc cum animaduerterit, perſpiciat deinceps, quo nam modo ſit tractandus diſcentis animus. Sunt quidam, niſi inſtiteris, remiſſi: quidam imperia indignantur: quoſdam continet metus, quoſdam debilitat: alios extundit continuatio, in alijs plus impetus facit. Ingenia uel acie nimis delicata, & tenui, ſed non ſolida, uel captus anguſti, meliora ſunt non defatigata, & obruta literis: ut nec debilis oculus intento rei obiectæ aſpectu fatigandus. Sunt qui initiò literis minus ſunt apti, alio tempore ſunt. ſic enim ſua cuique rei tempora Deum ſtatuiſſe deprehendimus. Quem naturà pudet diſcere, non continuò eſt ineptus: ſed parum diſcet. hic ſæpe eſt de ignorantia conuincendus, & pudore inurendus, ut uelit doceri. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui uictus fleat. Hic erit alendus ambitu: hunc mordebit obiurgatio: hunc honos excitabit: in hoc deſidiam nunquam uerebor. Nam ut equi meliores ad pugnam habentur, qui faciles ſunt manu regi, & ad tubarum clangorem arrectis auribus exultant: ſic qui iuuenum bene audiunt monitoribus, & laudati excitantur, uberis ſpem frugis ferre præ ſe uidentur. Et quemadmodum equi curſores meliores cenſentur, qui dato ſi-

gno protinus exiliũt, nec calcarium ſtimulos, aut fla gellorum plagas morati ſubſiſtunt: ſic adoleſcẽtes, qui cõſtitutis horis ad ſolita ſtudia alacres, ſine monitore, redeunt. Bene igitur habet, ſi & obiurgati erubeſcant, & caſtigati fiant meliores: ſuosq́; præceptores ament. nam et diſciplinã amari indicio eſt. Nec me offenderit luſus in pueris: eſt et hoc ſignum alacritatis. neq; illum triſtem, ſemperq́; demiſſum, ſperare poſſum erectæ circa ſtudia mentis fore: cũ in hoc quoque maximè naturali ætatibus illis impetu, iaceat. Quod autem quæri ſolet, an ſecundum ſui quiſq; ingenij docendus ſit naturam: quod pleriſque perſuaſum eſt, mihi quidem minimè uidetur. Sed illud, ſcio, mihi Horatianum obijcient:

Tu nihil inuita dices facieśue Minerua.

At ipſe quoq; eiuſdem illud obiecero:

— Ego nec ſtudium ſine diuite uena,
Nec rude quid proſit uideo ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Et quod illi obijciunt, de deploratis ac imbecillibus ingenijs intelligitur: quibus ſanè ſic obſequendum arbitror, ut tantum in id quò uocat natura ducantur. Ita enim quod ſolum poſſunt, melius efficient. Si uerò liberior natura contigerit, & in qua non fruſtra ſpem reponere poßimus, nulla in ea opera omittenda eſt. Et licet ſit aliquam in partem pronior, ut neceſſe eſt, cæteris tamen non repugnabit:

gnabit: atq; ea, cura, paria faciet iſs, in quibus emi-nebit. Nam & omnino ſuperuacua erat doctrina, ſi natura ſufficeret. An ſi quis ingenio corruptus, ac tumidus, ut pleriq; ſunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur? Aridum atque ieiunum non alemus, & quaſi ueſtiemus? Nam ſi quædam detrahere neceſſarium eſt, cur non ſit adijcere conceſſum? Neq; ego contra naturam uniuerſam pugno. Nam ſunt hæc duo uitanda prorſus: unum, ne tentes quod effici non poßit, quod extremæ demētiæ eſt: alterū, ne ab eo quod quis optimè facit, in aliud cui minus eſt idoneus, transferas, quod inuidi atq; maligni eſt. non enim deſerendum id bonum, ſi quod ingenitum eſt, exiſtimo: ſed augendum, addendumq́; quod ceſſat. Id quod non obſcurè clarißimus ille præceptor Iſocrates, quem non magis libri bene dixiſſe, quàm diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, docuit, cum de Ephoro ac Theopompo ſic iudicaret, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus eſſe diceret: illud profectò innuens, aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc penè præcipiti concitationem diſciplina moderandam eſſe, atq; alterum cum alterius natura miſcendum. Sed ut ad ea redeam quæ modò dixi: neque contra naturam pugno, qui ſciam eſſe aliquos, qui neque diſciplina inſtitui, neque boni fieri ullo modo poßint, ut etiam Peripateticorum princeps atteſtatur. Quamobrem ubi

ſagax doctor ſingulorum ingenia explorarit, acutiores ab obtuſioribus ſecernet: & pares, quod dici ſolet, paribus adiunget: illos laudabit, hos hortabitur: ſic illi pro meritis extolli gaudebunt, hi ad æmulandum accedentur. Quod ſi quidam nullis ſignis apti, nulla hortatione, nullis promiſsis ad diſciplinas excitari uidebuntur (eos tamen non reijcimus, in quibus hæc inueniuntur mediocria) ut ſunt hebetiſsimi, abſurdi, præpoſteri, furioſi, dementes, impoſtores, magiſtrorum contemptores, nequaquam lucri gratia illos retinebit: ſed parentibus humaniter reddet: neque patietur eos opinione falli, pecuniamq́;, & pecunia precioſius tempus amittere. hortabitur uero, ut in ijs ad quæ magis puer propenſus uideatur, inſtitui curent. Quo fiet, ut præceptor ſibi apud omnes autoritatem comparet, bonorũq́; retineat gratiam. Præclarè Seneca: Illos admitte, inquit, quos tu meliores facere potes. Sic feciſſe Alabandenſem illum Apollonium, ſcriptum eſt à Cicerone in Oratorijs dialogis: qui non patiebatur eos, quos iudicabat non poſſe oratores euadere, operam apud ſe perdere: dimittebatq́;, & ad quamcunq; artem putabat eſſe aptos, ad eam impellere atq; hortari ſolebat. Quos igitur probabit, aptosq́; cognouerit, eos ad tertiam claſsẽ promouebit, laudata ipſorũ indole ac diligentia. Hoc anno ad ſecundum Linacri librum, qui de

Enalla=

Enallage inſcribitur, & ad tertium noſtrum de Conſecutione ſiue conſtructione partium orationis quæ flectuntur, erunt uocandi, in eiſq; multum & diligenter exercendi.

SECVNDI LIBRI FINIS.

CAELII SECVNDI CVRIONIS Scholæ, ſiue de perfecto Grammatico, Liber Tertius.

Artem poſt Grāmatices rudimenta abſoluendam eſſe, & quomodo id fieri oporteat: tum de quarta claſſe.

BENE habet, inquit Orator, iacta ſunt fundamenta. Verùm nos non tantum fundamenta iecimus, quæ firma & idonea eſſent operi perferendo: ſed ad tertiam uſque contignationem, egregia ac robuſta materia opus eueximus. Reſtat, ſummis muris tigna, & his canterios culmenq; imponere, ſine quo priora inutilia & ingrata eſſent. Dixi ſuperiore libro, oportere puerum orationis partes, genera, & declinationes, & alia quæ rudimenta & elementa uocamus, tenere. Quod quia nō ſatis eſt ad eruditionem ſolidā comparandam, ulterius progrediendum eſt: & ſingula quæq; repetēda, atq; exactius examinanda. Eſt igitur in puerilibus ſtudijs opera in primis dan-

m 5 da

da, ut in promptu habeant declinandi, ac generis co gnoſcendi rationẽ: & nõ modò uerborũ copiã bo- norũ, ſed etiã formularũ Romani *ſermonis, quæ in uſu ueterũ fuere. Nã ita demũ redolebit ſermo no- ſter* Romanã *ciuitatem, planusq; & dilucidus erit, ſi in compoſitione uerborum certos quoſdam cano nas, ac ueterum exempla & conſuetudinem imi- tabimur. Sæpe enim pueros comperi, cum Latina- rum uocum magnam haberent copiam, tamẽ quia certam ſtructuræ rationem non norant, haud eſſe auſos loqui: quib. opera omnis collocata in literas, unam hanc ob cauſam perierat: quòd ſcientiam con ſtruendarum partiũ orationis, formularumq; præ- cepta, non ſatis didiciſſent. Quare diu mihi in hac parte Grammatices puer retinendus uidetur, dum omnes formulas coagmentandarum uocum exa- ctè cognouerit. in qua non ſolum uidendum eſt, ut uerba efferamus ea, quæ nemo iure reprehẽdat: ſed etiam, ut ea ſic & caſibus & temporibus, & gene- re & numero, cæteriſq; conformemus; ut ne quid perturbatum ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit. id quod ita in omnibus orationis partibus tenen- dum eſt, ut ſi in una peccatum ſit, tota fœdetur o- ratio. Hic autem ſummopere illud uitandum eſt, ne præceptis & regulis ut uocant Grammaticorũ nimis confiſi, uſum autorum negligamus: aut ſolo uſu freti, omnino canones contemnamus. Nam &*

cano-

Digitized by Google

canones ipſi nõ rarò ſequentem ſe fallũt:neq; enim omnia ſub præcepta poſſunt uenire. ut iam uerum appareat, quod in Scholis iactatur: nullã eſſe regulam tam latè patentem, quæ non aliquam patiatur exceptionem. Et exceptiones ipſæ ſæpenumero uel ineptæ uel mancæ ſunt, dum plura nonnunquã capit exceptio quàm canon ipſe. Qui uerò ſolo uſu nititur, primum non ſemper certus eſt, ita autores habere. Deinde fieri poteſt, ut non omnes euolueꝛit: & ſi euoluerit, parum fortè attentus, non omnia obſeruauit, expendit, excuſsit. Quid uerò tunc faciet? an non ſcribet? an non loquetur? an ſolœciſmis fœdabit orationẽ? Profectò artis et præceptionũ cognitio, nõ ſolũ rudibus, uerùm etiã doctiorib. ſæpe adiumento eſt, cũ à memoria nihil ſuppeditatur lectũ, quod ſit ei quod eloq conãtur, ſimile. Verùm Magiſter ipſa præcepta bonorũ exẽplis autorũ fulciat, et illuſtret: ut et præceptis memoriæ, & exẽplis, fidei atq; intelligẽtiæ cõſulat. Sed enim caueat penitus à barbarorũ nugamẽtis, à quæſtionib. ſuper Donatum, & Gloſſa notabili, cũ argumẽtis, & manuali. nec differentijs (ita enim appellãt) Grãmaticorum magnopere nitendum: nam plerũq; ea præcipere uidentur, quorum penitus contraria magno autorum conſenſu liceat deprehendere: ut non aliter rectius utare, quàm ſi contrà, atque iſti docuerunt. Satis enim eſt pueris, uſum magis proprium

prium Latinarũ uocũ noſſe: ex quo reliquas poteſtates facilè indagabũt. In omni enim arte diſcẽda, inania reijcienda ſunt, neceſſaria retinenda. Vita enim breuis eſt: & ſuperſunt infinita penè magis utilia, cum nugarum nullus ſit finis. Porrò ex memoria, ſiquidem poterit: alioqui aut ex indicibus, aut obſeruationibus, aut linguarum cõmentarijs, poterit magiſter ipſe annotare, quæ quotidiano ſint uſui neceſſaria, ut idoneas uoces ijs quæ pueri loqui uelint colligat, quæ ætas illa facilè ſuſtineat: à leuioribus ſenſim ad maiora progrediens. De domo & tota ſupellectile, de ueſtimentis, de cibis, de tempore, de equis et nauibus, de cœlo, de animantibus, ſtirpibus, de ciuitate & Republica, et id genus ſexcentis. condiet hæc iocis ſalſis, fabellis ſcitis, exemplis atque hiſtoriolis iucundis, adagijs, ſimilibus, apophthegmatis, ſententiolisq; acutis, nonnunquam & grauibus, ut ſic libentius hauriant, & magno cum fructu non linguæ tantum, ſed etiam prudentiæ atq; uſus uitæ. Hoc igitur anno, qui quartus eſt puerilis doctrinæ, ad quartum noſtrum de Conſecutione partium quæ non flectuntur, itemq; Linacri tertium de Nominis & pronominis conſtructione, tranſeundum eſt: efficiendumq;, ut eos bene intelligant, uſuq; terant. Hoc quoq; anno Græcæ linguæ iacienda ſunt fundamenta: quo pariter iam in utraq; incedat, Latina uidelicet, & Græca: quæ

quidem

quidem res eo erit facilior, quo iam maiores progreſſus fecerint in Latinis literis adoleſcentes.

DE GRAECE' DOCENDO, ET LAtinè an Græcè prius: tum de tribus reliquis claſsibus, & annis.

SEd *cum pleriq; arbitrentur, Græcas literas prius diſcendas eſſe quàm Latinas, idq; Fabij Quintiliani autoritate, minuenda eſt hæc opinio. Quæ igitur ratio eſſe poßit, ut peregrinæ quàm patriæ linguæ maior honos impendatur, non uideo: præſertim uerò, ſi ex bonore ſequatur diſpendium: id quod nec ipſe Fabius dißimulare potuit. Non tamen, inquit, hoc adeò ſuperſtitioſe uelim fieri, ut diu tantum loquatur Græcè, aut diſcat, ſicut plerisque moris eſt. Hinc enim accidunt & oris plurima uitia, in peregrinum ſonum corrupti: & ſermonis, cui cum Græcæ figuræ aßidua conſuetudine hæſerint, in diuerſa quoq; loquendi ratione pertinaciſſimè durant. Audiuiſti, os & ſermonem peregrino ſono corrumpi? corrumpitur uerò maximè os tenerum pueri, nondum quid Latinus ſermo ſit pernoſcentis. Nam & Fabius de illius ſeculi pueris intellexit, quorũ ſermo naturalis, ut ita dicam, Latinus eſſet. At quando is iam nobis paratur arte & induſtria, contrario modo eſt agendum: ut cum Græcis rudimẽtis maior Latinæ linguæ diſciplina procedat. Vt ſi quis attentius inſpiciat, ſimilem prorſus*

ſus cōperiat meā eſſe & Quintiliani ſententiā. Nā pueris olim, cū primum ad ſcholam gradū facerēt, multa erant iam in ſermone Latino domi cognita. Sed inſtabit aliqs ex eodē Fabio: diſciplinis Græcis prius erudiri debere, unde et noſtræ fluxerūt. huic ego Tulliū opponā, in Tuſculanis ita dicentē: Non quia philoſophia Græcis & literis & doctoribus percipi non poßit: ſed meum iudicium ſemper fuit, omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapientius quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuißent in quibus elaborarēt. His accedit, quod pleraq; ex Græca literatura cū noſtra cōſentiūt: quæ haud difficulter cognoſcūtur ab eo, qui iam Latinè didicit: alia uerò, & à noſtris diuerſa, facilius addiſcuntur. Prima igitur cura atq; opera in Latina Grammatica ponatur, cum ſit turpe magis (ut Iuuenalis ait) noſtris neſcire Latinè. deinde cum ſermo Latinus ſatis puero conſtiterit, tum quarto anno ad Græcum, animum intendet: ne nimio peregrini ſermonis ſtudio, patrij uis ac nitor amittatur: ac ne dum nimia Græcitate laboramus (ut cum Plinio dicam) non uideamur Latini. Latinā ſanè linguā haud magno negocio Græca ſequetur. Et ſunt de ea præceptiones adeò claræ & faciles editæ (de quibus in Bibliotheca libro primo extremo mentionem fecimus) ut uel citra præceptorē, ingenioſus adoleſcens Græcè queat diſcere.

Sed

Digitized by Google

Sed quæ reſtat de trib. reliqs claßib. hoc capite paucis abſoluamus. Trãslatis à quarta ad quintã claſſem, poterit præceptor noſtrũ de Orthographia libellũ tradere: eũq; plurib. cùm præceptis, tũ exemplis, ſi uideatur, augere, ac diligenter explicare. Huic adiũget quartũ Linacri, de Verbi & participij cõſtructione. Si quid temporis ſupererit, in poeticis inſumi poterit. Hũc ordinẽ ſequitur Sextus, cui noſtrum de poetica, et quintũ Linacri librũ de cõſtructione partiũ nõ declinatarũ, attribuimus. Supereſt ſeptimus et ſummus ſiue ultimus doctrinæ puerilis gradus, in quo grauiores iã autores audient: et quæ cœpta erãt, abſoluẽt. In utrãq; aũt orationẽ, tũ pedeſtrẽ, tũ ſolutã, quæ proſa dicitur, uehemẽtius incũbẽt, et Græca cũ Latinis cõiungere aũ debũt. In Grãmaticis uerò ſextũ et ultimũ Linacri, q eſt de cõſtructiõis figuris, utilißimus et diligẽtißimus: in quo innumeras Græcas figuras à Latinis uſurpatas licebit cognoſcere. Hunc igitur præceptor magna cum cura tradet, & explanabit.

QVANDO PRIMVM AVTORES rerũ explicãdi, & qui & quot ſingulis diebus.

ADhuc ea indicauimus, quæ in ſingulis claſſib. præcepta Grãmaticæ uerſari deberẽt: deinceps de autoribus legendis, & alijs quibuſdam grauiorib. ad eaſdẽ claſſes pertinentib. loquemur. Autores rerum tunc profiteri citra reprehenſionẽ præce-

Digitized by Google

præceptor poterit, cũ bonam puer habuerit Grammatices cognitionem, & ad tertiam claſſem perductus fuerit. Abutuntur uerò officio Grãmatici, qui uix primas literas progreßis autores interpretantur. Hoc enim potius eſt eneruare diſcipulos, quàm erudire. Primæ igitur & ſecũdæ claßis diſcipulis nulli autores explicabuntur, niſi fortè ſex mẽſibus poſtremis, ſi ita uideatur. Itaq; cum in tertiũ claſſem fuerit puer translatus, iam mihi per amœnos autorum campos uagari incipiat. Qui uerò legendi ſint incipientibus, non ſimplex opinatio. Nam quidam illos minores, quia facilior eorũ intellectus uideatur, probauerunt: alij floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. Ego, inquit Fabius, optimos quidem & ſtatim, & ſemper: ſed tamen eorum candidißimum quemq;, & maximè expolitum uelim, ut teneræ mentes, tracturæq; altius, quicquid rudibus & omnium ignaris inſederit, non modò quæ diſerta, ſed uel magis quæ honeſta ſunt, diſcant. Ideoq; optimè inſtitutum eſt, ut Latinis à Vergilio, Græcis ab Homero, lectio inciperetur. Siquidem dictũ eſt ab Horatio:

Os tenerum pueri, balbumq;, poeta figurat.

Verùm quod de Homero atque Vergilio dicit Fabius, his dicta intelligas lector, qui iam domi diu multumq; audierãt, quiq; ad Grammaticos ſermo-

nis

nis quotidiani uſum adferebant. Qui ſermo cotidianus nunc certè non à poetis, ſed ab oratorib. aliiſq; qui ſoluta oratione ſcripſerũt, cõmodius percipietur: quod negare poterit nemo, cui dicendi genera cognita ſint: quanquã in comicis minus eſt periculi, tum quòd ſermone populari uſi ſunt: tum etiam quòd genera uerſuũ quib. utuntur, uix ſolutæ orationis formã immutant. Verè enim dixit Cicero in Oratore, ſenarios & hipponacteos in ſoluta oratiõe, quotidianoq; ſermone uitari uix poſſe. Quocirca nobis, quibus nõ domi, ſed in ſcholis ſermo Romanus eſt accipiendus, cõuerſa ratione, ut etiã de Græcè docendo ſum locutus, faciendũ eſt, & ab oratorib. incipiendũ. A Cicerone igitur auſpicabimur, qui et iucundus incipientibus, & apertus eſt ſatis: nec prodeſſe tantũ, ſed etiam amari poteſt. Seligantur initiò aliquot ex eius libris epiſtolæ, tũ breuiores, tũ faciliores, præſertim ex XIIII, & XV Epiſtolarũ: quas præceptor pueris diſſoluet, rurſumq; cõiunget, ut & ipſi facilius percipiãt, & ſimilia facere diſcant. deinde & Ciceronis dialogi cùm elegantes, tũ uel maximè utiles, Paradoxa illa θετικά, de Amicitia, de Senectute. hos conſequẽtur Terentianæ comœdiæ, & Cæſaris cõmentarij, quibus Cicero laudem tribuit puri & incorrupti ſermonis Latini: præterea Vergilij eclogæ, & Ouidij ſelectæ aliquot & maximè caſtæ Elegiæ. Aeneis

itẽ Vergiliana: et Horatij Lyrici, ſed qui pueri doceant pudorẽ ac reuerentiã. Poſtremò Senecæ Tragœdias, & Melã Pomponiũ de ſitu orbis interpretabitur. Si quãdo uerò diſcipulos in Dialecticis atque Rhetoricis exercebit, Liuij Saluſtijq́; orationes aliquot primùm deliget ex omnib. deinde ad Ciceronis actiones, eloquẽtiæ parentis, trãſibit: interdũ quoq; eiuſdẽ Officiorũ libros, indicato diſſerẽdi genere, & tractandi uia, enarrabit. In Græcis Aeſopi fabellas quidã proponunt: quib. nõ repugno: ſed tamen eius uitã malim, aut potius Pythagoræ, Theognidis, Phocilidis ſentẽtias: aut Iſocratis paræneſes, aut Ariſtotelis de uirtutib. libellũ, quæ ſingula magnas cõtinent utilitates. His ſuccedet Iſocratis ſiue Demoſthenis oratio aliqua: pòſt etiã Xenophontis aut Herodiani quidpiã. Vtiles quoq; erunt poetæ, Theocritus, Heſiodus, Euripides, Pindarus, Homeri Odyſſea. Hi ſatis erunt, mea ſententia, Græcè diſcere uolenti. De numero autorũ, ueterẽ quoque morẽ in ſcholis reuocare placet, ut pauci in ludis literarijs autores, ſed hi (ut dixi) optimi proponãtur: quorũ uirtutes primùm cognoſcat, deinde etiã imitetur iuuẽtus. & quẽadmodũ de re ruſtica ſcitè præceptũ eſt, ne maior fundus ſit, quàm q coli probè poßit: quod Maro elegãter dixit, — Laudato ingẽtia rura, Exiguum colito. — pari quoque ratione in autorib. eſt faciẽdũ. Nã ſi lectio, præcipiente

ente Fabio,nõ cruda, ſed multa iteratione mollita, et uelut cõfecta memoriæ,imitationiq́; tradẽda eſt: quî fieri poteſt, ut in uaria multipliciq́; autorũ lectione id cõſequatur aliquis? obtundentur enim potius, quàm erudientur tenera ingenia. Rectè quidem à Seneca dictũ eſt:ita legendũ, ut lectio nõ ſit multorũ autorũ,habens aliquid uagũ & inſtabile, percurrens omne genus uoluminũ. Oportet enim certis ingenijs immorari, et innutriri,ſi uelis aliq̃d trahere,quod in animo fideliter ſedeat. Qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim ac properanter tranſmittunt, ſimiliter faciunt peregrinãtibus:qui multa quidem hoſpitia habẽt, ſed nullas amicitias. Quare,qui bene diſcipulis ſuis conſultum uolet,hos tantum illis autores interpretabitur.neq; tamen omnes,eodem tempore ſimul: ſed incipientib. unũ, iam proficientib.duos: ac ne ijdem fortè per annum totum lecti tædium pariant, temporibus diuidendi ſunt, ut alij hyeme,alij æſtate, autumno, atque uere uiciſſim recurrant: ſed ijdem ſemper, donec ad calcem perducti fuerint: quo facto, alios licebit aſſumere. Ad calcem uerò intelligo, operis partium, ſeu uoluminum: nam totum opus, ueluti Liuij,aut Maronis, aut Homeri, uix decennio toto finiretur. Neque ſolum operum habendus eſt delectus, ſed etiam partium. Duo autem genera ſcriptorum

maximè cauēda pueris puto. Vnū, ne quis antiqtatis nimius admirator, in Catonis, Lucretij, Plauti, Apuleij, et ſimiliū lectiōe dureſcere uelit: fiēt horridi atq; obſcuri. nā neq; uim eorū adhuc intellectu cōſecuti ſunt: et elocutiōe, quæ tū ſine dubio erat optima cū nulladū melior extitiſſet, ſed noſtris tēporib. aliena, cōtenti (quod eſt peßimū) ſimiles ſibi magnis uiris uidebūtur. Alterū, quod huic diuerſum eſt, ne recētis huius laſciuiæ floſculis capti, uoluptate praua delimiātur: ut prædulce illud genus, et puerilib. ingenijs hoc gratius, quo propius eſt, adamēt. Firmis aūt iudicijs tanq̄ extra periculū poſitis ſuaſerim, et antiquos legere: ex quib. ſi aſſumatur ſolida ac uirilis ingenij uis, deterſo rudis ſæculi ſqualore, tū noſter hic cultus clarius eniteſcet: et nouos, in quib. et ipſis multæ inſunt uirtutes. Neq; enim nos tarditatis natura dānauit: dicēdi mutauimus genus, et ultrà nobis quàm oportebat indulſimus: ita nō tā ingenio illi nos ſuperauerūt, quàm propoſito. Multa ergo licebit eligere: ſed curandū erit, ne ijs quib. permiſta ſunt, inquinētur. Quoſdā uerò etiā, quos totos imitari oportebat, & fuiſſe nuper, et nūc eſſe quidē, libenter nō conceſſerim modò, uerùm etiā cōtenderim. Sed qui ſint ſanè, nō cuiuſq; eſt pronūciare. Tutius circa priores imitatio eſt, uel erratur. Ideoq; hāc nouorū diſtuli lectionē, ne imitatio iudicium antecederet. Et aliter præceptori de autorib.

Digitized by Google

aliter pueris conſulendũ fuit. Hos igitur pueri ut imitari ſtudeãt, atq; eorũ uirtutes exprimere, ſibiq; omnino familiares facere, præceptor frequẽter admonebit: non aliter quàm boni pictores formas ac geſtus uiuorum corporum imitantur. Tum uerò, ſi quos ex recẽtioribus lubeat enarrare, ſimili atq; nos iudicio, in deligendo utetur.

LECTIO, ITEM ENARRATIO autorum, qualis eſſe debeat: & quomodo à diſcipulis exigenda.

QVum explicandũ eſt, nullũ magiſter ultra præfixũ tẽpus expectet: alioqui deſidioſi & tardi diſcipuli fiẽt. cõtrà, ſi neminẽ expectet ultra præſcriptũ tẽpus, maturius ad lectionẽ feſtinabunt. Ergo certæ et ſtatæ docendi horæ ſint neceſſe eſt, binæ antemeridianæ ſiue matutinæ, binæ itẽ pomeridianæ: ſed ita, ut inter primã & ſecundã, itemq; inter tertiã et quartã, unius aut duarũ interſit horarum ſpaciũ. Sit autem in primis lectio uirilis, & cũ ſuauitate quadã grauis, & non quidẽ carmini ſimilis, quia proſa eſt: nec proſæ, quia carmẽ, & poetæ ſe canere teſtantur: non tamen in canticũ diſſoluta, nec plaſmate, ut à pleriſq; fit, effœminata: de quo genere optimè C. Cæſarẽ prætextatũ Fabius ait dixiſſe: Si cãtas, male cantas: ſi legis, cantas. Nec proſopopœias ad comicum morẽ pronũciari uelim. Eſſe tamen flexũ quendam, quo diſtinguantur

tur pronunciatione nõnulla, & geſtu intelligentiam adiuuante (dummodo ne ad hiſtrionicum deueniat) in quibus poeta perſona utetur ſua, non negarim. Enarratio habeat multum facilitatis, & lucis. Initio & rudib. adhuc, ſuæ cuiuſq; linguæ, hiſq; maximè mundis & proprijs uerbis, quæ leget, reddere: uerſus uel ſententias ipſas autoris, mox mutatis uerbis, ſed quàm maximè Latinis & puris, nihil ſe ſupra modum extollente ſermone interpretari debet: tum paraphraſi audacius uertere, qua & breuiare quædã, et exornare, ſaluo tamen authoris ſenſu, permittitur: quod mirè ad copiam atque orationis diuitias compertum eſt facere. Audebunt enim & ipſi diſcipuli, & geſtient imitari. Equidem conſilium Iuſtiniani imperatoris, non in explicandis autoribus modò, uerùm etiã in tota ratione docendi maximè probo: ita diſciplinas poſſe tradi cõmodiſsimè, ſi primò leui ac ſimplici uia: pòſt deinde diligentiſsima atque exactiſsima interpretatione, ſingula tradantur. alioqui (inquit ille) ſi ſtatim ab initio rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi, multitudine ac uarietate rerum onerauerimus, duorum alterum, aut deſertorem ſtudiorum efficiemus, aut magno labore eius, ſæpe etiam cum diffidentia (quæ plerunque iuuenes auertit) ſerius ad id perducemus, ad quod leuiore uia ductus, ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia

Digitized by Google

ſtentia maturius perduci potuiſſet. In *prælegendo Grammaticus, & illa quidem minora præſtare debebit, ut partes orationis reddi ſibi, ſoluto uerſu, deſideret, & pedum proprietates: quæ adeò debent eſſe notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compoſitione deſiderentur.* Id *quoque inter ipſa lectionis rudimenta non inutile, indicare uocis orthographiam, analogiam, etymologiam, & ſyntaxin: interdum quoque proſodiam.* In Orthographia, *quibus literis uoces quædam ſcribantur, duplicibus, an duplicatis & geminatis: ſine aſpirationis nota, an contrà: diphthongos' ne, & in qua ſyllaba, admittant, an reijciant: atque alia, quæ ars ipſa uſus' que docebit.* In *Analogia, quæ ſint cuiuſque uocis attributa, quæ uocant accidentia: ut declinatio, ut caſus, ut genus, ut numerus, ut perſona, ut modus, et id genus alia.* In Etymologia, *origo, poteſtas, ſignificatioq́; uerborum. uelut quot quæque uerba modis intelligenda ſint: unum an multa: & quod ab hoc diuerſum eſt omnino, quàm multa uerba idem, aut penè idem, ſignificent. Sunt enim uerba, rerum notæ.* In *Syntaxi, ſocietas conſecutióque uerborum, qua congrua orationis ſtructura cõſurgit.* In *proſodia, ſyllabarũ tempora & ſonos, pedũ & uerſuum genera.* In *tenui, ut ait* Vergilius, *labor eſt, at tenuis non gloria, nec mediocre precium operæ, poſſe hæc oppor*

tunc præſtare. præcipuè uerò illa infigat animis, quæ in οἰκονομίᾳ uirtus, quæ in decoro rerũ, quid perſonæ cuiq; cõuenerit: quid in ſenſib. laudãdũ, qđ in uerbis: ubi copia probabilis, ubi modus. Quæ loca ex autorib. uel ad exẽplũ, uel ad dicti ſui confirmationẽ adducet, ea ne ſint inepta uidebit, aut etiã turpia: ſed rẽ aliquã ad artes aut mores pertinẽtẽ, hiſtoriã ſeu fabellã, ſi inciderit, nõ à capite, neq; gemino (ut Horatius ait) ordietur ab ouo: ſed quãtum auditorib. ad præſentis loci intelligentiã ſatis eſſe uideatur. Quod ſi prius illam audierint, paucis tantũ admonebit. Nã quæ nõ ſuo loco & tẽpore dicũtur, præterquã quòd inſuauia ingrataq; ſunt, iactantiæ ſuſpectionem habent. Apta omnino, & ſuo cuiq; loco accõmodata debet eſſe authorũ explicatio: neq; in unum locũ omnia ſunt cõportanda, neq; effundendũ quicquid uſquã legeris aut uideris: neq; prolixa lectione auditores enecandi ſunt: ſed conſtringi debent diſsipata, & confuſa diſtingui: utilitasq; ipſa ſine cunctatione eſt dilucidè & ordine indicãda, ut quem fructũ ex illa percipere poſsint, ſtatim auditores attẽti intelligant. Quæruntur tamen interdũ amœna & enarranti & audienti diuerticula, ut hiſtoria uel fabula leuandi tædij gratia fuſius explicetur: quam in partem malim interpretẽ peccare, quàm ieiunitate. Nomẽ uiri mulieris ue ſi quod incidit, uel bellicis laudibus, uel ſapientia

pientia & cognitione rerum clari, uel etiam fœdis facinoribus nobilitati, quis'nam fuerit, & unde, quo tẽpore, qua re excelluerit, quid ſit conſecutus, indicandũ erit: uel ea ſaltẽ, quæ maximè ad propoſitum facere uidebũtur. urbs, mõs, fluuius, fons, quo loco ſitus, quantũ à notabili loco diſtet: nẽpe ab Alpibus, à Pyrenæis, à Tauro, ab urbe Roma, Athenis, Rhodo, Hieroſolymis, Nilo, Rheno, Tanai, Gange, Euphrate, Indo, Tago, Pado, ſupero mari, aut infero, Gadibus, Boſphoro, reliquisq; id genus: item quem uirum inſignem dederit, quid potiſsimum pariat, qua re affluat, quæ cœli & hominum natura & mores: atq; alia ad hiſtoriam, ad Chorographiam, Chronographiam, Geographiam, Coſmographiamq; ſpectantia. Tum ſi quid ex alijs artibus & diſciplinis, quarum fecimus libro primo mentionem, inciderit, ut ſæpe in poetis, & alijs, eruditum præſtabit interpretẽ. Idem faciendũ, ſi animãtis, ſtirpis, lapidis nomẽ occurrat: breuiter deſcribẽda ſunt, & aliquid de illorũ natura, uiribus & loco, quod ſcitu dignũ ſit, erit delibandum. Si quid obſcurũ nimis & difficile, ut pleraq; ſunt in poetis, Sibyllinis folijs ſimilia, quæ ne ipſi quidem qui ſcripſere, ſatis fortè intellexerunt, et Delio urinatore digna (ut ſcitè Socrates de libris Heracliti Epheſij dicebat) non inſiſtemus, ſed monebimus locum eſſe obſcurũ, uel nullius frugis. Nam hoc uitium ſummopere uitandum

dum eſt (ut docet Cicero) ne nimis magnum ſtudium multamq́; operam in res obſcuras atq; difficiles, eaſdemq́; nõ neceſſarias conferamus. Iam quæ ad Rhetoricum artificiũ referuntur, quid in inuentione, quid in diſpoſitione, quid in elocutionẽ notandum, quæ in proœmio conciliandi ratio, quæ narrandi lux, breuitas, fides, ſuauitas: quod autoris conſilium, & quàm occulta calliditas: quanta deinceps in diuidendo prudentia, quàm ſubtilis & crebra argumentatio: quibus uiribus inſpiret: qua iucunditate permulceat: quanta in maledictis aſperitas, in iocis urbanitas: ut deniq; dominetur in affectibus, atque in pectora irrumpat, animosq́; transformet, ac rapiat. Tum, quod uerbum proprium, translatum, ornatum, ſuperlatum, poeticum, oratorium, inuſitatum, nouatum: ubi amplificatio laudanda, breuitas accommodata: quæ figura uerborum: quæ lenis, quæ aſpera & hiulca, quæ mollis, quæ uirilis, quæ numeroſa cõpoſitio. Deinde ſi qua paulo illuſtrior ſententia, ſi quod prouerbium, ſi qua ſimilitudo aut comparatio non inepta, ſi quod exemplũ quod moribus accommodari poßit, non pigebit cõmonſtrare. Poſtremò in autorum lectione locos communes exponet, atq; à proprijs perſonis et temporib. ſi poteſt, auocet quæ dicuntur. Latius enim de genere, quàm de parte, licet diſſerere. ueluti exempli cauſſa, apud Vergilium,

Inſignem

Inſignem pietate uirum tot adire labores:

Significat, bonos & pios rebus aduerſis exerceri. & cum Sichæus Didoni,

Crudeles aras, traiectaq́; pectora ferro
Nudauit, cæcumq́; domus ſcelus omne retexit:

Illud innuit, ſcelus diu latêre non poſſe, utcunq; detegatur. Neq; ſolum hæc ipſe docere præceptor debet, ſed frequenter interrogare, ac repoſcere, nõnunquam iudicium diſcipulorum experiri. Sic audientibus ſecuritas aberit, nec quæ dicentur perfluent: ſimulq́; ad id perducentur, quod ex hoc quæritur, ut & intelligant, et ſimilia facere atq; inuenire poßint. Quid enim aliud agimus docendo, quàm ne ſemper docendi ſint? Vt autem multa in pauca conferã, autores explicandi triplex eſt ratio: et tenuis, & plena, & ea quæ particeps utriuſq; generis quadã mediocritate laudatur. In tenui uerba, in mediocri ars, in plena & ars et res, ſed res potißimùm ſpectandæ ſunt, & enucleandæ. Verba dupliciter conſiderãtur, & ſimplicia et coniuncta. Artem intelligimus, rationem dicendi, artemq́; diſſerendi. Rerum uerò nomine, quicquid in rerum natura conſtat: quo nomine diuina humanaq́; omnia comprehendimus, quocunq; tandem genere contineantur: ita tamen, ut ne quid nimis. Quando autem pietas eſt, ad quam referũtur omnia, meminerit magiſter, Chriſtianum ſe eſſe, ut quæ uel à pietate &

reli-

religiõe, uel bonis morib. ſunt aliena, aut tegat, aut reprehendat: eorumq; loco pia, honeſtaq; ſubijciat. Poetæ medio opere fabulantur, & nugas agunt, etiam cum ſeria tractant: alij ſuos amores, ſuaq; flagitia dulcibus ornant uerſibus: ne lectori excidat, poetas eſſe illos, qui (ut ait ille) miranda canunt, ſed non credenda, ſæpe etiam turpia. Vtinam quæ in poetis ſunt, alijsq; autoribus, uel obſcœna, uel impia, publico edicto reſcindantur, uerbis, quæ fortaſſis in alijs non extant, & phraſi, conſeruatis. Aegrè ferent homines ſuaues, ſi ex ſpurco atq; impio ſcriptore partem abſcindas noxiam: & id facias in libello, quod in tuo ipſius corpore facere non dubites, ſi res ipſa flagitet. Iuſtinianus Cæſar tot Iurecõſultos: et nefas erit, ex Ouidio, Catullo, & Martiali detrahi eos uerſus, quibus adoleſcens fit nequior? Imò uerò amiſſa ſunt tot optimorum hiſtoricorum, philoſophorum, & theologorum monumenta: & graue, ac non ferendum facinus arbitrabimur, ſi ex Catullo, aut Martiale, aut Ouidio, aliquid reſecetur? cum Ouidius ipſe Auguſti edicto in Põtum ſit, propter libros de Arte amandi, deportatus. Vtiq; non de præſentibus modò, ac poſteris præclarè merebitur, ſed de poetica arte quoq;, alioqui diuina, quiſquis eam repurgationem aggredietur: haud aliter quàm de hortis, qui uenenis extirpatis, ſolas reliquerit herbas ſalutares: ita & ignominia erit

poetis

poetis detracta, & contagij periculum legentibus. Cætera autẽ cum pingunt, ſciant, qui legunt, picturas eſſe: et pictura poeſis erit, ut ait Horatius. Quũ Deos aut Heroas audient, cogitent eos fuiſſe reges, aut uiros fortes, atq; optimè de genere hominũ meritos. Deos etiam interdum putent accipi pro illa re, quæ illis attribuitur: ut regni maieſtatem, in Ioue: in Minerua, ſapientiam, & conſilium: in Marte bella, impetum & furorem: in Mercurio, eloquentiæ uim: in Apolline, ingenij lumen: itemq; Cererem pro frugibus, Liberum pro uino, Neptunum pro mari, atq; huiuſmodi ſexcenta. Poetis quoque ipſis fides eleuanda eſt: multum quidem ualuiſſe eos ingenio & natura excitatos, ſed homines tamen fuiſſe mediocri iudicio, doctrina uerò & uſu rerum ſæpe nullo, aut certè perquàm exiguo: tum animi perturbationibus obnoxios, ac turpiſſimis uitijs inquinatos. Interdum enim qui leguntur autores, laudandi, corrigendi, uituperandi, refellendi, ſi res poſcat, ſunt: ne ſemper eos quaſi numina quædam ſuſpiciendos exiſtimemus. Verùm quando adhuc inter ſpinas & uenena incedimus, nec uotis finem ſperare licet, ad hos legendos tanquam antidotum, librum præceptor adhibebit Plutarchi, de Poetarum lectione: & alterum Baſilij Magni, de legendis Ethnicis, breuiorem quidem illo, ſed pietate uberiorem.

DE

DE DICTATIS, ET ARGVmentis componendi.

ANte omnia illud meminiſſe debet doctor, ut ſecundum cuiuſq; uires præeat. Nam incipientibus danda erit uelut præformata atque abſoluta materia, idq; ea lingua qua utitur uulgus, ut nihil niſi latinam facere oporteat. Progreßis nec abſolutè pertractatam proponet, ne nihil relinquatur inuentioni ipſorum: neque nudam tamen, uerùm locis aliquot circumſcriptam, ut aſſueſcant uelut ad certum ſcopum animum intendere: & ex his locis ſententias, argumenta, amplificationes, aliasq; figuras inuenire: & tamen præceptor quoq; quædam horum indicabit. Adultis & grandibus iam ſatis erit, ſi nudæ theſes, ſiue quæ dicuntur in ſcholis θετικά, id eſt propoſita, proponantur: credi enim ſibi eas oportebit, ne mala conſuetudine ſemper alienum laborem ſequendi, nihil per ſe conari & quærere ſciant. Quod ſi ipſi per ſe dicenda uiderint, iam propè ad ſummum perducta fuerit percipientis opera: ſi quid errauerint, adhuc erunt ad incudem reuocandi. Cui rei ſimile quiddam facientes aues cernimus, quæ teneris infirmisq; fœtibus cibos ore ſuo allatos, partiuntur. at cum niſi ſunt adoleſcere, paulum egredi nidis, et circumuolare, præcedentes ipſæ docent: tum expertas uires libero cœlo, ſuæq; ipſorũ fiduciæ permittũt. Id quod

& pa

& parentes in alendis liberis imitãtur: qui primùm infantibus cibum præmanſum in os inſerunt: deinde ſat habent, in manum dare: mox, menſis tantum admouent: poſtremò etiã domo ablegant aliquò, ut ſuapte induſtria ipſi ſibi quærere conſueſcant, & quod dicit Plautus, ſine ſcirpea rate nare. Præterea in his delectum habebit, & curam, ut ea potißimum proponat rudioribus, quæ ætati illi uelut illecebræ blandiantur. Ea enim ut libentius, ita & utilius amplectentur. Id fiet, ſi uel noua ſint, uel faceta, uel alioqui puerorum ingenijs accommodata. Neq; ſemper neceſſe eſt, ut præceptor ſe inueniendi labore fatiget: ex poetarũ fabulis, ex hiſtorijs, ex epiſtolis Ciceronis, principiò quas pueri legerint, deinde quas nondum legerint, erũt dictata petenda: niſi quid nouæ rei, ut ferè fit, ſuggeſſerit uita mortalium. frequenter enim et noſtris temporibus eueniunt digna, indignaq;, quæ poſteritas miretur. Sententiæ quoq;, & Chriæ, & Ethologiæ, & narratiũculæ apud Grammaticos tractãtur: ſed triũ ſuperiorũ ſimilis eſt ratio, forma diuerſa. quia Sentẽtia uniuerſalis eſt uox: Ethologia perſonis continetur: Chriarum plura genera. In his omnib. & declinatio per omnes ducitur caſus: & tam factorum quàm dictorum ratio ſubijcienda eſt: de quibus Fabius nonnulla præcipit, ſed multo plura Ioachimus Camerarius in Rhetoricis elementis. In uarijs quoq; uerſuũ

gene-

generibus faciendis erunt exercendi: ut etiamſi non poßint eſſe poetæ (nam non omnes ad poeticen ſunt naturà facti) tamen qui poſſunt, iam à teneris unguiculis aſſueſcant: qui non poſſunt, aut nolunt, uerſum ſi opus ſit norint facere, ut primùm bini aut quaterni uerſus ex bonis poetis, quos non uiderint ipſi, in quibus ſit perfecta ſententia, diſſoluantur, & ad Grammaticum ordinem naturalemq́; reuocentur: ut nihil tyroni faciendũ ſit, quàm uerba rurſum in uerſum numerũq́; redigenda: poſt, ubi iã hoc facile poterũt, alia uerba immiſceantur, quæ uerſus rationem magis perturbent, relictis tamen ijs quæ in poetæ uerſibus fuerint. Poſtremò ſententia tantum libera proponatur aliqua, uarijs de rebus, quam ipſi ſuo marte numeris & pedibus ex uarijs uerſuum generibus conſtringant. hac ratione & uia facilè ad uerſus faciendos inducentur. In huiuſmodi dictatis, & dicendi primordijs, præludet ætas illa rudis, ut teneræ adhuc mentes, ueluti ſub nutricibus, mollius alantur, & quodam quaſi iucundioris diſciplinæ lacte ciboq́; ſaginentur. nam præter ſtyli fructum, multas antiquorum ſententias & dicta, multas quoq́; memorabiles hiſtorias, hac ratione uelut aliud agentes imbibent. Alioqui fiet, ut pueri nihil aliud diſcant quàm ineptè ſcribere: quẽadmodum in pleriſq́; ludis fit, literator indoctus pro themate proponet friuolũ ſtulti capitis ſomnium,

um, in quo neq; ſit ulla ſententia, nec quicquam cohæreat, ne ſermonis quidem ulla gratia, & quod dici ſolet, neq; caput neq; pedes. Doctoris tamen erũt partes, priuſquam thematis formam proponat, rem geſtam, aut fabulam etiam, unde neceſſe erit repetitam, et quemadmodũ conuenit, accuratiſsimè pueris exponere, indicatis & temporum momẽtis, & perſonarum, reliquiſq; attributis, ne aut aberrẽt à ſcopo ſcribentes, aut parũ conſentanea dicant. Deniq; ut habeant quem ſequantur, autores indicabit, qui in ſimili aut diſsimili, ſiue etiam contrario argumento uerſati ſint, ut ipſi inde tanquam ſuccum trahant, & quæ poterunt imitando faciant ſua.

DE EMENDANDIS DIſcipulorum ſcriptis.

Iam uerò in emendandis his quæ pueri compoſita reddunt, non parua diligentia eſt adhibenda. Eſt enim emendatio pars ſtudiorum longè utiliſsima: neque ſine cauſſa creditum eſt, ſtylum non minus agere cum delet, quàm cum reponit. Huius autem operis eſt, adijcere, detrahere, mutare: quæ omnia erunt ætatibus, & diſcentium gradibus accommodanda. Neq; ſimul tamen omnia, ſed aliâs alia, ne pueri deſpondeant animum. nam ingenia puerorum nimia interim emendationis ſeueritate deficiunt. Deſperant enim, & dolent, & nouiſsimè

ode-

oderunt: & quod maximè nocet, dum omnia timent, nihil conantur. Quod etiam ruſticis notum eſt, qui frondibus teneris non putant adhibendam eſſe falcem, quia reformidare ferrum uidentur, & cicatricem nondum pati poſſe. Idcirco Maro dixit: Parcendum teneris. At ſi tam negligens alicui ſtylus fuerit, ut emendationem non recipiat, proderit eandem materiam de integro tractari iubere: & malè tornatos, ut Horatius iubet, incudi reddere uerſus: poſſe enim eum adhuc melius: nullo enim magis ſtudia, quàm ſpe gaudent. Iucundus ergo tum maximè debet eſſe præceptor: & remedia, quæ alioqui naturâ ſunt aſpera, molli manu lenire: laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione: illuminare, interponendo aliquid ſui. Nonnunquam hoc quoque erit utile, poſtquam annotarit quid in ſcriptis puerorum placeat, aut diſpliceat, tum exemplum eadem de re uel à ſe ſtudioſe elaboratum, uel ex autore aliquo ſumptum proponere, quod imitentur pueri, & ad quod ſua corrigant, & quaſi eliment. neque pigebit in marginibus, aut uoce, quid ipſe ſit ſecutus, adnotare: ut in eo, perinde ut in ſpeculo, uideant, quid ipſos ſuffugerit: quid aſſequi non quiuerint: ubi dormitauerint, aut cæcutierint. alioqui, quod quoſdam facere uidi, uitioſam & ineptam epiſtolæ formam proponere, quid aliud eſt quàm docere per-

peram

peram ſcribere? Sunt autem uitia, quæ præceptoribus in adoleſcentulis non debeant diſplicere: ueluti ſublimior ſpiritus, & uerborum luxuries quædam. Dicendum interim aliquid auſis in oratione licentius, aut lætius: laudare illud nos adhuc: uenturum tempus, quo idem non permitteremus. ita & ingenio gaudebunt, & iudicio non fallentur. Nam à pueris oratio perfecta nec exigi, nec ſperari poteſt: melior autem eſt indoles læta, generoſiq; conatus, & uel plura iuſto concipiens interim ſpiritus. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adſtringat. hinc ſpes roboris. Maciem namq; & infirmitatem in poſterum minari ſolet, protinus omnibus membris expreſſus & abſolutus infans. Audiat hæc ætas plura, & inueniat, & inuentis gaudeat. Sint licet illa non ſatis ſicca ac ſeuera, facilè remedium eſt ubertatis: ſterilia nullo labore uincũtur. Illa mihi in pueris natura minimum ſpei dederit, in qua ingenium iudicio præſumitur. Vt materiam, ſic etiam orationem eſſe primùm uolo uel abundantiorem, atque ultra quàm oporteat fuſam: multum inde decoquẽt anni, multum ratio limabit: aliquid uelut uſu ipſo deteretur. Sit modò unde excîdi poßit, & quod exculpi erit autem, ſi non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam cælatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus ſentire minus mirabitur,

bitur, qui apud Ciceronem ſecundo de Oratore legerit: Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. nam facilius, ſicut in uitibus, reuocantur ea quæ ſeſe nimium profuderunt, quàm ſi nihil ualeat materies, noua ſarmenta cultura excitantur: ita uolo eſſe in adoleſcēte, unde aliquid amputem. nō enim poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatē cōſecutū. Quapropter in primis cuitandus, & in pueris præcipuè, magiſter aridus: non minus quàm teneris adhuc plantis ſiccū, & ſine humore ullo, ſolū. Inde fiunt humiles ſtatim: & uelut terram ſpectantes, ut nihil ſupra quotidianum ſermonem attollere audeant. Macies illis pro ſanitate, & iudicij loco infirmitas eſt: & dum ſatis putant uitio carere, in idipſum incidunt uitium, quòd uirtutibus carent. Quare mihi ne maturitas quidem ipſa feſtinet. nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferent, & uetuſtate proficient. Ego & alia pro tempore in his ferenda cenſeo: cuiuſmodi ſunt exquiſitæ uoculæ, aut etiam integræ locutiones, ex bonis autoribus ſublectæ: poetarum item uerſiculos, aut hemiſtichia ſubinde intertexta (quod ne ſummos quidem oratores facere puduit) translationum licentiam, apertiorem imitationem, cōpoſitionem curioſe numeroſam, ac prope carmen exprimentem. Hæc enim tametſi in adulto ſcriptore uitia ſunt, in proficientibus tamen

neceſ-

neceſſaria erunt. Porrò ſiue quid laudes, ſiue reprehendas, utrumque & cum modo & uariè faciendum: in alijs ſermonis puritas, in alijs perſpicuitas, in alijs lepos, in alijs inuentionis acumen, in alijs argumentandi ſubtilitas, in alijs grauitas, in quibuſdam uarietas, in nonnullis diſpoſitio, in pleriſque conſilium erit uel extollendum, uel deprimendum: ut ad quamque uirtutem quiſq;, aut ad quodque uitium uidebitur accedere, & tamen omnia hæc mediocriter. Hæc laudis ac reprehenſionis temperatio faciet, ut ne quis de ſe deſperet: ne'ue deſpiciat quenquam. Tum æmulatio quædam inter omnes excitata, dum irritatis omnibus, alterius quiſque laudem affectabit: dictu mirum, quantum calcar addet ad ſtudium. Quorundam putidis ingenijs, & ruſtico pudori, priuatis blandisq; admonitionibus erit ſuccurrendum. Illud unum præterea mihi monendus eſt doctor, ne ut plerique faciunt, celeritatem in componendo à pueris exigat. Nam primùm hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, ut quàm optimè ſcribamus: celeritatem dabit conſuetudo: paulatim res ſe facilius oſtendent: uerba reſpondebunt: compoſitio ſequetur: cuncta denique, ut in familia bene inſtituta, in officio erunt. Summa hæc eſt rei: citò ſcribendo non fit, ut bene ſcribatur: bene ſcribendo fit, ut citò. In emendando, quoniam ſæpe tanta multi-

*tudo unius etiam claßis eſt, ut hora una bis re
data, ſatis eſſe non poßit, ſic erit agendum. Pri-
mùm, omnia ſcripta ſtata hora ſunt à diſcipulis
eius claßis repetenda: mox clara uoce unum le-
gendum, & omnibus audientibus corrigendum,
ut omnes ex ſingulis, & ſinguli ex omnibus fru-
ctum capiant emendationis: deinde alteram, ac de-
inceps donec hora uenerit. tunc qui ſupererunt,
eorum ſcripta ſeponet ipſe præceptor: & poſtri-
die, eadem hora reliquos emendabit, eodem mo-
do. Poſſet etiam idipſum eodem die duabus ho-
ris peragi: ſed melius eſt differre, propter eam quæ
capitur non parua in emendando moleſtia, quæ
intermißione tollitur, aut minuitur. Nulli omni-
no ſunt prætereundi, qui hanc emendationis limam
non ſentiant, cùm propter fructum, quē ſinguli ſi-
bi capiunt: tum ut profectus & incrementa doctri-
næ à præceptore cognoſcantur, quod maximè ne-
ceſſarium eſt.*

DE PERCVNCTANDI SEV tentandi ratione.

*PErcunctari uerò diſcipulos, ac ueluti depo-
ſitum repoſcere, atque id quod à Socrate eſt
dictum, experiri utrum partus ingeniorum uita-
les ſint, nimirum obſtetricum induſtriam imitan-
tes, omnino neceſſarium eſt. Neque enim id ſine ra-
tione à Fabio, magiſtro optimo, toties commenda-
tur.*

Digitized by Google

tur. Primùm audientibus ſecuritas aberit, neq; perfluent aures, ut dictum eſt, quæ docentur, ſimulq́; perducentur ad id quod ex hac re quæritur, nempe ut non docendi ſemper ſint. Porrò matutino tempore & ueſpertino pueri quæ ediſcenda ſunt ediſcant: pomeridiano uerò præfecti claßium interrogatiunculis exerceant ſuos, atq; ab unoquoque aliquid exigant, ex ijs quæ iam didicerint, audierintúe, aut etiam paulo ſuprà ſemper aliquid nouæ præceptionis adijcientes. Atque interim iubebunt ſingulos attento animo quæ dicuntur accipere. Idem ferè modus erit interrogandi, qui fuit docendi & interpretandi: ſiue de præceptis Grammaticæ, ſiue de dictatis, ſiue de autoribus qui prælegumtur, percunctari placeat. Principiò ex ordine quo traduntur præcepta, interrogabit: dein paulatim permiſcebit: poſtmodum, ut lubet, in percunctando uagabitur: ut ea quæ ordine quodam annexa cognorant, ſingula & ab inuicem temerè ſeiuncta, deprehendat. ne hic quidem, quemadmodum de literarum formis diximus, primæ memoriæ credendum eſt. In percunctando, ſi quid aliquem ſuffugerit, & idipſum quiſpiam ſequentium & inferiorum nouerit, hic in illius, ille in huius locum tranſire debet. hæc erit errati pœna: quæ quantum ad profectum puerorum ipſa æmulatione conducat, nullus non uidet.

Hoc exercitationis genus ſæpe iterari uelim. Nam quo frequentius percunctatus eris diſcentes, eo maturius peruenient ad frugem. Non ſolum quia memoria, ſicut alia omnia, excolendo augetur: uerum etiam, quia continua lectio, & quæ magis, & quæ minus hærent, æqualiter tranſit: in experiundo, teneant ne ſenties: & maior excitatur intentio: & nihil uacui temporis perit, quo etiam quæ tenemus repeti ſolent: ita ſola, quæ exciderint, tractantur, ut crebra iteratione firmentur: quanquam ſolent hoc ipſo maximè hærere, quòd exciderunt.

DE CONSVETVDINE SEPTIMO quoque die repetendi, quicquid per totos ſeptem dies diſcipuli didicerunt: & inibi de ediſcendo.

NEc conſuetudo illa, quæ in noſtræ Italiæ ſcholis ſeruatur, mihi diſplicuerit: qua diſcipuli, ſeptimo quoq; die iubentur repetere, idq; memoriter, quod totis ſeptenis diebus edidicerunt. Siquidem omnis diſciplina (ut uerbis utar Fabij*) memoria conſtat: fruſtraq; docemur, ſi quicquid audiuimus, & legimus, præterfluat.* Præterfluet *autem, peribitq;, quicquid præclarum etiam in nobis fuerit, niſi theſaurus rerum omnium memoria, cuſtos (ut ait* Orator*) inuentis, cogitatisq;*

tiſq; uerbis & rebus adhibeatur. Sed hæc, ut ferrũ, uſu ſplendeſcit: contrà ſi eam inertem iacere ſinas, ſitu atq; rubigine obducitur. Quare bene inſtitutum eſt, ut triplici præter cætera cultu exerceãtur: percunctationibus crebris, diligenti recitatione, & diſputatione, qua tanquam cote ingenium acuitur, memoria renouatur, de qua Capite ſequenti dicemus. Sed hic maximè præceptorem uelim attentum, dum pueri locos, partes'ue autorum, aut Grãmaticæ præcepta recitant. Neq; id ſanè mihi placere poteſt, quod in plerisq; ſcholis etiam magnis ipſe audiui, ubi adoleſcentuli quanta poſſunt linguæ uolubilitate, autorum quas repetunt lectiones pronunciant, præceptore interim aliud agẽte. quo fit, ut neq; præceptor corrigere poſsit quæ aut omiſſa, aut malè diſtincta, aut uitioſe pronũciantur: neq; ipſi meminiſſe eorum queant, quæ tanta celeritate recitata, uix prima labra contigerunt: & quod peius eſt, ne uiri quidem hunc morem obliuiſci poſſunt. Atq; id ipſe expertus ſum: ſi quis ab ipſis exigat ut tardius ac diſtinctius recitẽt, uix uerſum unum integrum dicere queunt, & ad ſingula uerba reſiſtunt: diceres eos balbos eſſe. adeò à teneris conſueſcere multum eſt. Volo igitur diſcipulos, tanquam declamarẽt, aptè diſtinctèq; recitare: uultum præceptoris intueri: toto corpore decenter cõpoſito conſiſtere: præceptorem quoq; non oſcitan

ter audire, os emendare: geſtus, atque ipſum corporis habitum moderari: ſingula circumſpicere: ſic & quæ recitabunt, tenacius hærebunt: & ipſi compoſitiores fient: nec ſi quando in foro loquentes interpellentur, aut à graui aliquo uiro paulo intentius aſpiciantur, perturbabuntur, aut ſtupebunt attoniti. Quibuſdam in ſcholis prima ac unica ferè cura præceptoribus eſt, ut pueri ſtatim ubi literas balbutire incipiũt, nõ intellecta ad uerbũ ediſcant: quod quidem non penitus improbo, ſed quod melius & conſultius uidetur oſtendo. Memoria enim tribus potiſsimùm rebus conſtat, intelligentia, ordine, & diligentia: quæ ſi quis negligat, nihilo plus efficiat,

— quàm qui aduerſo uix flumine lembum
Remigijs ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni.

At ſi quis prius intelligere curarit, uniuerſamq; ſententiam animo altius infixerit, & facilius ediſcet, nec relabentur intellecta. Ordinis uerò quanta ſit in reminiſcendo uis, duo præſtantiſsimi uiri, Simonides & Scæuola, alter poeta, alter iuriſperitus, facilè oſtendunt. Ille enim cum frequenti conuiuio adhibitus eſſet, nuncio eſt excitus: at uix eo limẽ egreſsio, tricliniũ illud ſupra cõuiuas corruit: atque ita contudit, ut à propinquis nulla nota, propria corpora diſcerni poſſent. Tum Simonides di-

ci-

citur, memor ordinis quo quiſque diſcubuerat, corpora ſuis reddidiſſe. Alter in luſu duodecim ſcruporum, cum prior calculum promouiſſet, eſſetq́; uictus, dum rus tendit, repetito totius cer= taminis ordine, quo dato erraſſet, recordatus re= dijt ad eum qui cum luſerat: isq; ita factum eſſe con feſſus eſt. An idem ordo minus in diſciplinis ua= lebit, præſertim totus noſtro arbitrio conſtitutus, cum tantum ille ualeat alternus? Si quis tamen ad hæc unam, maximamq́; à me artem memoriæ quærat, exercitatio eſt, & labor, multa ediſcere, multa cogitare: & ſi fieri poteſt, quotidie potiſ= ſimùm. Nihil æquè uel augetur cura, uel negli= gentia intercidit. Quare & pueri ſtatim ubi intelligent, quàm plurima ediſcant: & quæcun= que ætas operam iuuandæ ſtudio memoriæ dabit, deuoret initio tædium illud, & ſcripta & lecta ſæpius reuoluendi, & quaſi eundem cibum re= mandendi. Quod ipſum hoc fieri poteſt leuius, ſi pauca primùm, & quæ tædium non afferant, cœperint ediſcere: tum quotidie adijcere ſingulos uerſus, quorum acceßio labori ſenſum incrementi nõ afferat, in ſumma ad infinitũ uſq; perueniat. Et iucundiora prius, tum grauiora, nouißimè etiam difficiliora, & magis ab uſu dicendi remota: qua= les ſunt leges duodecim tabularum, & artiũ præce pta. difficiliora enim debent eſſe quæ exercent, quo

ſit

ſit leuius ipſum illud quod exercent: ut athletæ põderibus plumbeis aſſueſaciũt manus, quibus uacuis & nudis in certamine utendum eſt. Non omittam etiam, quod quotidianis experimentis deprehenditur, minimè fidelem eſſe paulo tardiorib. ingenijs, recentem memoriam. Mirum dictu eſt, nec in prõptu ratio, quantum nox interpoſita afferat firmitatis: ſiue quieſcit labor ille, cuius ſibi ipſa fatigatio obſtabat: ſiue maturatur, atq; concoquitur. ſeu firmiſsima eius pars eſt recordatio: quæ ſtatim referri non poterant, contexuntur poſtero die: confirmatq; memoriam idem illud tempus, quod eſſe in cauſa obliuionis ſolet. Etiam illud præuelox ferè, citò effluit: & ueluti præſenti officio functa, nihil in poſterum debeat, tanquam dimiſſa diſcedit. Magis enim hærent animo, quæ diutius affixa ſint. Illud quoq; ex conſuetudine mutandum prorſus exiſtimo in his, de quibus modò diſſerimus, ætatibus, ne quæ aut ſua ipſi compoſuerint, aut etiam præceptor, tanquam ſua (niſi fortè artis, quam diſcunt, præceptiones propoſuerit) ediſcant. Nam ut ſcribere pueros plurimum, doctoresq; quàm plurima dictare planè uelim: ſic ediſcere electos ex poetis, ex oratorib. uel hiſtorijs, alio'ue quo genere dignorum ea cura uoluminum locos, multo magis ſuadeam. Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quàm ſua: & qui erunt in difficili-

ore

que huius generis labore uerſati, ſine moleſtia quæ ipſi cõpoſuerunt, iã familiarius animo ſuo affigẽt, & aſſueſcent optimis, ſemperq́; habebunt intra ſe quod imitentur: atq; etiam non ſentientes formam orationis illam, quam mente penitus acceperunt, exprimcnt. Abundabunt autem copia uerborum optimorum, & compoſitione, ac figuris iam non quæſitis, ſed ſponte ex repoſito uelut theſauro ſe offerentibus. Accedit his & iucunda in ſermone bene à quoque dictorum relatio, & in quauis facultate utilis. Nam & plus autoritatis afferent ea, quæ non præſentis gratia rei ſunt comparata: & laudem ſæpe, ſi in loco fiat, maiorem, quàm ſi noſtra ſint, conciliant. Idq́; præcipuè à pueris obtinendum: atq; in hanc conſuetudinem memoria, exercitatione redigenda, ne ſibi diſcãt ignoſcere. Aliquando tamen permittendum, quæ ipſi protulerint, & repererint, ediſcere atq; iactare, ut laboris ſui fructum, etiam ex illa quæ maximè petitur laude, aliquem capiant. Verùm id quoque tum fieri oportebit, cum aliquid commodius limauerint, ut eo uelut ſtudij ſui præmio donentur, ac ſe meruiſſe ut id facerent gaudeant.

DE SCHOLASTICIS DISPVTATIonibus, ſeu collatione ſtudiorum.

Diſputatio quoque, & conflictio, quaſi palæſtra quædam ingeniorum, neruos animi præcipuè

præcipuè tum oſtendit, tum excitat, tum adauget. Aemulatio enim illa commouet pueriles animos, nec ſinit ocio torpeſcere. Idcirco Deus *tanquam pueros,* Iudæos *prouocat, ut de regno cœleſti cum gentibus contendant: ſicuti* Paulus *in* Epiſtola *ad* Romanos, *uatum teſtimonio confirmat.* Quare *ne in parte hac quidem, præceptoris curam aut ceſſare, aut dormitare uelim.* Committat *igitur in tam honeſtam pugnam diſcipulos, partim laudis amore, partim præmiolis illectos: tũ reprehenſione et obiectu æqualis melius diſcẽtis.* Prouidebitur *tamen, ne res longius in odia & rixas abeat.* Certabunt *contentè, ſed citra acerbitatem.* Paulatim *hi conflictus in ſtudiorum collationem uertentur, & motus illi puerilium animorum ſenſim ponent.* Quandoquidem *conſultius eſt, adoleſcentes nihil ſcire, quàm ambitionis & ſuperbiæ mancipia fieri. & puerili quidem ætate præmiola, laudesq́;, tanquam crepundia & luſus, cuiuſmodi ſunt nuces, & equi arundinei, permittuntur: quæ grandiores facti nugas eſſe pueriles intelligant, erubeſcantq́; eadẽ expetere, qui iam pueritiæ nomẽ exuerunt.* Præceptoris *ſententia, atque ſuaſu, multum proficient, ut illa uelint contemnere.* Nam *cùm ipſe in ea inuehetur ſæpe dictis grauibus, & oſtendet eſſe ridicula: tum uerò uita ſua, quæ dixerit, confirmabit.* Non *tamen eſt ſtatim puero*

ad

ad ſcholam deducto diſputandum. Nam quid tandem dicet rudis omnium? Sed tacitus rationem ſcholæ conſideret, ſeduloq; contempletur ſingula. Poſtmodum incipiet aliquid ab alijs condiſcipulis ſciſcitari, magis quàm altercari, aut confligere. Hoc Pythagoras Samius reputans, annos aliquot iubebat diſcipulos ſuos tacere, ne leuibus ſe quæſtiunculis iactare conſueſcerent. Anno igitur tertio puerilis doctrinæ, incohandæ ſunt diſputationes: quæ bis in menſe repetitæ, gratæ erunt, & minimè moleſtæ. Congredientur ergo, atque in medium, ſi quid habeant, proferent. Quæ porrò inter ſe conferent, ea erunt quæ audierint, legerint'ue apud præceptorem: de uerborum poteſtate, analogia, origine, attributis, uaria conſtructione, cæteriſq; Grammaticæ partibus: de locis autorum obſcuris, intricatis, contrarijs, ambiguis: item de aliarum artium quas nouerint præceptis, et uſu. De his uerò omnibus, quantum ætas illa feret, & ſtudiorũ ratio, ut quiſq; erit prior, alter eũ aggrediatur. uel hoc pacto. Primæ claßis dux, hoc eſt qui cæteros profectu anteire uidetur, à præceptore iuſſus exurgat. Hunc ſuæ claßis ſinguli, ualidis quàm maximè poterunt ſuæ profeßionis telis impugnent. Ille contrà quoſdam ictus excipiet callidus, quoſdam pro dexteritate in hoſtem retorquebit: quædã accepta uulnera teget, quædam etiam oſtentabit.

Nunc

Nunc porrectus, nunc contractus, nunc humilis, modò excelſus apparebit: ſciensq; pugnæ, nihil non circumſpiciet. Huiuſce uerò pugnæ iudex præceptor erit, qui palmam uictori decernet:

Nec niſi librato dirimat ſententia litem,
Parte quid ex utraq; queat examine cauſa.

Victores collaudabit modicè, uictos ad conandum hortabitur: quaſi induſtria, non ingenio ſint præteriti. Præmium autem quod & quale eſſe debeat, iam aperiendum eſt. Superius dixi, utile eſſe, interdum diſcipulos mulctare pecuniola. Quid autem de ea fieri deberet (ab hac enim omnino præceptores excludimus) in hunc locum uſque diſtuli. Volo igitur, ex ea aut thecam calamariam, aut calamarij armamenta, ut cultellum, forficulas, circinum, regulam, graphium, calamos, pennas, eaq; egregia coemi. Quod ſi tantum fuerit æris, charta, & libri, qui uel ipſo aſpectu adoleſcentum animos capiant, comparari poterunt: uelut Vergilij, Ciceronis, Terentij: uel de ipſa qua utuntur Grammatica opuſculum, aut ex literis ſacris quidpiam. Ea uerò præmiola proponenda erunt ijs, qui primas tulerint: ac minoribus minora, mediocria mediocribus, ſumma ſummis, diſtribuenda. Sic & pueri pro erratis libentius exiguam ſtipem pendent, cum uidebunt eam, ſi ſtrenui fuerint, ad

ad ſe redituram cum fœnore: & quod iucundũ u-tiq; eſt, de erratis proficiẽt. Sed neq; auaritiæ præceptor taxabitur, quod uitium ab eo maximè abeſſe debet. Quod ſi ærarium exhauſtum ſit, nec quicquam ex erratis pecuniæ contrahi (quod mirum profectò eſſet) potuerit, cenſenda erunt puerorum capita, ac pro facultate cuiuſq; peculiola, quantũ ſatis ſit, exigenda. At ſi ne hoc quidem teneri poterit, laurea certè aut hederacea corona, aliáue non ingloria herba, aut fronde, uictores donare oportebit: admonereq́;, id non eſſe exiguum uictoris præmium: ſiquidem Imperatores ac duces, poetæq; inſignes, antiquitùs iiſdem ſua capita ornare conſueuerunt. Nec de hoc ſemel decretũ erit: quartusdecimus dies reddet uicto certaminis poteſtatẽ. Ita nec ſuperior ſucceſſu curam remittet, & dolor uictum ad depellendam ignominiã incitabit. Quæ res pueris acriores ad ſtudia diſcendi ſtimulos ſubdidiſſe, quàm exhortationes docentium (quæ proculdubio plurimum ualent) quàm auditæ ſæpius lectiones, ſecretaq́; ſtudia, cõtenderim. Secreta nãque ſtudia laudantur quidem, at ita, ut poſtea è latebris in arenam prodeamus, uiriumq; noſtrarum periculum faciamus.

QVAE SINT PERFECTI IN Grammatica pueri ſigna: & ibi, quamdiu in Grammatica detinendus.

IAm propè ad ſummam deſtinati operis perue-nerim, ſi quæ ſint abſoluti in Grammatica diſci puli indicia, paucis commonſtrauero. Nam quæ ſequentur pauca, gratiæ nonnihil atque ornatus operi addiderint: ſic tamen neceſſaria, ut in parietibus recenter extructis, tectorium ſiue lorica-tio, qua laterum commiſſuræ, ipſiq́; parietes fir-mantur, æquantur, poliuntur. Sed iam quod inſtat agamus. Quemadmodum enim ſigna tra-didimus, quibus obſeruatis, cognoſcat doctor qui'nam profecturi ſint, aut contrà: ita nunc haud dubijs notis, ad propoſitam metam perue-niſſe puerum oſtendemus, ut nouerit præceptor quatenus ei progrediendum ſit, neque puerum detinebit ultra quàm oporteat. Lucri hìc nullius ratio habenda eſt, ſed officij: ſiquidem bonus uir (ut debet) eſſe uelit. Breuis eſt hæc noſtra facul-tas, modò adſit ratio tradendi. Omnia enim bre-uiora reddet ordo, & ratio, & modus. Sed cul-pa eſt in præceptoribus prima, libenter detinen-tibus puerum: partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius ſit quod pollicentur: partim etiam inſcitia tradendi,

Digitized by Google

uel negligentia. Proxima in parentibus, qui filiorum tanquam Megarenſium nullam habent rationem: nec quantum profecerint cognoſcere, ad ſe putant pertinere. Nam quid attinet, tam multis annis pueros in infantia detinere? præſertim cum tot pulcherrimæ artes diſcendæ ſuperſint. Cognoſcere enim præcepta uiuendi, & in foro nos experiri potuimus, dum pueri nolumus eſſe. Grammaticæ talis eſt ratio, ut non multos annos poſcat. Nam ſeptem (ut ſuperiore libro commonſtrauimus) ad ſummum anni mediocribus etiam ingenijs ad eam perdiſcendam ſuffecerint, modò ſcholam per eos totos annos frequentarint, & ſi non ſegnis neque ineruditus monitor adſit. Septima igitur Claßis, finem doctrinæ puerili imponet: & cum ſodalium applauſu, præceptorisq́;, ac parentum commendatione, re bene ac fœliciter geſta, puerum in libertatem aſſeret, & ad maiora ſtudia in adoleſcentum & iuuentutis cœtum tranſmittet. Vbi igitur puer interrogatus de quacunq; quæſtione Grammatica, aptè commodeq́; reſponderit, & puri dilucidiq́; ſermonis facultatẽ aſſecutus fuerit, q̃d ultra quæritur? Quũ uerò quæſtiões Grãmaticas dico, artem ipſam Grãmatices ſolidã, cũ his quæ capite præcedẽti diſputãda ꝓpoſui, intelligo: non gerras Siculas, nõ apinas tricas, quales in regulis ac cõmẽtarijs triuialiũ leguntur: aut etiã

quæ pexi iſti, arrogantioresq́; iactant, quùm quæ-runt, quot nodi in Herculis claua eſſent: quotq́; ui-ni cados bonus Aceſtes Aeneæ abeunti littore Tri-nacrio dederit: (quos irridet Plinius:) item, qua pœna affecerit Neptunus uentos, qui cœlum ter-ràq́; ſuo ſine numine miſcere ſunt auſi, ut eſt apud Maronem: item, porcus ne an porca fuerit, quum Virgilius dicit,

—— Iungebant fœdera porca.

& quibus ſub arborib. Latona pepererit: cum alij inter palmam & laurum, alij inter hanc & oli-uam, alij rurſus tantum palmam uelint, ut Home-rus in hymno Apollinis. Hæ ſanè curioſæ inqui-ſitiones ſunt, ſed ad diſciplinas nihil, ſicut & mil-le hoc genus, in quibus ſibi mirificè applaudunt: & omnia tandem fabulæ plus quàm Argiuæ, ad quas Gellius ipſe naſum corrugaret. Non hæc, inquam: uerùm ſi adoleſcens ipſe alium adpoſitè de facul-tate ſua percunctari nouerit, ac aberrantem cor-rigere: ſi propoſito authoris loco, ſenſum Latinis uerbis explicat: ſi cum aliquo diu uarieq́; La-tinè ſermocinari poteſt: deinde, ſi quamcunque propoſitam materiam, aut etiam aſſumptam, ſcri-ptione intra commodum tempus, purè atque a-pertè ualet reddere: nec eum copia Grammatici ſermonis deſtituit, etiam ſi perfectius quiddam efficere nõ poßit: hũc ego Grammatici operis cur-

rícu-

riculum munus'que abſoluiſſe aio. Voco autem Grammaticum ſermonem, qui non ſolum uerbis Latinis conſtat, & constructionem habet conſentaneam Grammaticis regulis: ſed multo magis eum, qui ſtructura coniunctione'que uerborum, eorum conſuetudinem imitatur, qui purè & uerè Latinè locuti ſunt. Extemporalis autem illa facultas à puero nec exigi, nec expectari debet. Erit ſuum parandæ huius facultatis tempus. Ille demum in cuiuſque diſciplinæ ſummum, aut ei proximum gradum poterit euadere, qui antè didicerit rectè agere, quàm citò. Qui autem hæc non poſſunt, ad limam ſunt reuocandi, donec fuerint expoliti. Vt enim qui picturæ operam dederunt, ſi rerum ſimilitudines penicillo effingere ex arte neſciant, etiamſi quædam poßint, abſoluti pictores dici non merentur: multo uerò minus, ſi de artis ratione interrogati, adpoſitè non reſponderint: ſic qui ad Grammaticos ſeſe diu contulerunt, niſi omnia quæ ambitu ſuo puerilis illa doctrina continet, tenuerint, eaq; proferre ſi opus ſit nouerint, nondum in ea abſoluti expolitiq; ſunt, neque à præceptore dimittendi.

DIALECTICAM ATQVE RHETOricam, poſt Grammaticen, eſſe percipiẽdas: & an Grammatici muneris ſit, eas docere, & quatenus: ac inter hæc digreſsio, in eloquentiæ laudes.

Contentus fortè aliquis fuerit hactenus profeciſſe, nec ultra Grammaticen quicquã deſiderabit: ſed miſerè nimium, ne dicam inſulſe. nam aſper, ieiunus & incultus ſit neceſſe eſt, qui nihil ſupra Grammaticen didicit: qui ſi alia quoque perſequi deſtinauit, cuiuſmodi ſunt leges, & medicina, ipſaq; etiam diuinarum literarum tractatio, nec tamen is de Dialecticæ ac Rhetoricæ inſtrumẽto (nam hæ quoq; in ſermonis cura uerſantur) cogitat quicquam, tota (quod aiunt) errat uia. Alioqui cur Grammaticen didicit? ut congeriem uerborum, tanquam turbo arenas uerſet? Equidem nõ uideo, quomodo alijs hominum uice futuri ſint, qui nec quæ ſentiunt oratione explicare: nec quod diſtinctè & ornatè dicitur, mente aſſequi poſſunt. Proinde quamuis nulla foret harum artium dignitas, nulla gratia: tamen ea uis eſt, ut non igni, non aere (ut aiunt) non aqua, quàm optimã rerum, nõ auro, quod pulcherrimum eſſe Pindarus dixit, pluribus in locis utamur. Omnis enim hominum ſocietas, ratio uitæ publicè ac priuatim inſtituendæ, cõquirendorũq; omniũ quibus uitam tuemur, cõmer

cia

cia deniq; omnia ſermone cōtimētur, ac trāſigūtur. Atqui, nō quouis oratiōis genere id aptè cōmodeue peregeris, ſed cura ſtudioq; paranda facultas eſt, qua animi tui ſenſa tanquā ſub aſpectū poßis ſubijcere, præclareq; ut queq; res poſcit eloqui: id eſt, diſtinctè & ornatè dicere. Nā ut corpora colorib. ſic oratione mētis cogitata repræſentamus. Quare neceſſe eſt certā orationis formam conſtare, in qua ordo quidā ſit, conſenſusq; ſententiarū, & uerborū lumen: quæ quidem à nulla alia arte, quàm à Dialectica & Rhetorica haberi poſſunt. Nominibus uariant, cum ars eadem ſit: ſed docendi tantum gratia altera ab altera ſeiunguntur. Neutra enim ſine altera abſoluta eſſe poteſt: quod & Cicero & Fabius aſſerunt, cum oratori multa à Dialecticis aſſumenda, non uno loco monent. Nam cum Dialecticæ duæ partes ſint, inuentio & iudicium: perſpicuum eſt, Rhetoricen locos, & argumentandi rationem à Dialectica mutuare: ut ſola Rhetoricæ propria elocutio ſit, unde eloquentia ipſa & eloquens dicuntur. Sed ſunt quidam etiam mediocriter eruditi, qui altera delectati, alteram contemnant: aut qui quæ complecti tota nequeant, hæc facilius diuulſa & quaſi diſcerpta cōtrectant: quorum ſine interitu fieri neutrum poteſt. Quod ſi hos aberrare certum eſt, quid de his dicendū, qui ſpinoſa quædam et ſophiſtica ſectātes

(nam logica dicenda non eſt) omnẽ orationis ornatum peroſi, quaſi religioni inimicũ, aſpernátur? Verùm audiant iſti Firmianũ Lactantiũ, in præfatiõe operis Diuinarum inſtitutionũ, quid de huiuſmodi
» facultate ſentiat. Multũ (inquit diuinus uir) nobis
» exercitatio illa fictarũ litiũ contulit, ut nũc maiori
» copia et facultate dicendi, cauſam ueritatis perore=
» mus: quæ licet poßit ſine eloquẽtia defendi, ut eſt à
» multis ſæpe defenſa, tamẽ claritate ac nitore ſermo=
» nis illuſtranda, & quodãmodo diſſerenda eſt, ut po
» tentius in animos influat, & ui ſua inſtructa, & lu
» ce orationis ornata. Et in præfatione quinti libri:
» Ob eamq; cauſam, inquit, uolui ſapientiam cum re
» ligione coniungere, ne quid ſtudioſis illa inanis do
» ctrina poßit officere: ut iam ſcientia literarum
» non modò nihil noceat religioni atq; iuſtitiæ, ſed
» etiam proſit quamplurimum, ſi is qui eas didicerit,
» ſit uirtutibus inſtructior, & ueritate ſapientior.
Verùm uideo errore labi iuuentutem, quæ cum neſciat eloquentiæ uim atque naturam, non ar=bitratur precium aliquod operæ fore, cur eam ſibi maiore ſtudio contentioneq; paret: et laudari à nobis putat uulgari more, quemadmodũ ſua unguẽta pharmacopolæ: nec optimorũ prudentißimorũq; hominũ autoritate cõmouetur, q̃ ad illius ſtudiũ una uoce adoleſcẽtes, et cõmmuni quaſi claßico inuitãt. Miſerã hominũ cõditionẽ, quãdo ut quæq; res opti=

optima eſt atq; pulcherrima, ita q̄ lōgiſſimè à conſpectu noſtro pellitur, minimeq́; agnoſcitur. Talis eſt eloquentiæ forma: quæ ſi oculis ipſis cerni poſſet, mirabiles amores ſui excitaret. Sed cum appetitum iuuentus, non rationem ſequatur ducem, temerario quodam impetu ad ea labitur, quæ uulgò maximè celebrantur: ea autem ſunt, quæ in primis quæſtuoſa ducuntur, ad quæ, uelut ſues illoti ad cœnum, irruunt. Enimuero ſi quis eſt non imprudens rerum æſtimator, is apud ſe expendat, nihil eſſe cuius uſus latius pateat, quàm harum artium cōmodā. ſiue enim famam, ſiue dignitates ſpectes, ſiue rem augere appetis, aut hæ artes, aut nihil præterea, te in ſummo earum rerum gradu collocare poteſt. Veriſſimum eſt enim quod Cicero ſcribit, ueram ſpeciem ac pulchritudinem, cum utilitate coniunctā eſſe. Cuius rei, tum in natura, tum in artium operibus, maximeq́; in ædificijs infinita exempla oſtendi poſſent. ſine hac non modò artes reliquæ, ſed res omnes in tenebris uerſarentur. Quid eſſent Romani, quid Græci, ſi eloquentia (ut de hac nunc dicam) non eſſet? Quid Camillus? Quid Cæſar? Quid Scipio? Quid Themiſtocles, alijq́; & bello & pace clari? Quid maximi illi uiri, Plato, Ariſtoteles, Demoſthenes, Theophraſtus, Iſocrates, Cicero, Liuius, atq; innumerabiles alij? qui iam olim mortui, eloquentiæ tamen uiribus etiamnum uiuunt,

uiunt, ſpirant, docent, atq; artes bonas copioſa quadam ſapientia, & ſapienti copia nobis illuſtrant. Quomodo enim conſiſtant res humanæ, ſi legum, ſi philoſophiæ, ſi artium, ſi negociorum patrocinium illa copioſè loquens ſapientia deſerat? ſi nec publicis nec priuatis conſilijs oratio, ornata uerbis, diſtincta ſententijs, adhibeatur? ſi res geſtæ, nullis literis ad poſteros cum luce orationis tranſmitti
» *queant? Nam ut uſum dicendi omittam, qui in omni*
» *pacata & libera ciuitate dominatur, tanta oble-*
» *ctatio eſt in ipſa facultate dicendi, ut nihil homi-*
» *num aut auribus, aut mentibus, iucundius percipi*
» *poſsit. Qui enim cantus moderatæ orationis pro-*
» *nunciatione dulcior inueniri poteſt? Quod carmen*
» *artificioſa uerborum concluſione aptius? Qui a-*
» *ctor in imitanda, quàm orator in ſuſcipienda ua-*
» *rietate, iucundior? Quid autem ſubtilius, quàm a-*
» *cutæ crebræq; ſententiæ? quid admirabilius, quàm*
» *res ſplendore illuſtrata uerborum? quid plenius,*
» *quàm omni rerum genere cumulata oratio? Neque*
» *enim ulla non propria oratoris eſt res, quæ quidem*
» *ornatè dici grauiterq; debeat. Huius eſt, in dando*
» *conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata*
» *ſententia: eiuſdem & languentis populi incitatio,*
» *& effrenati moderatio. Eadem facultate fraus ho-*
» *minum ad perniciem, & integritas ad ſalutem uo-*
» *catur. Quis cohortari ad uirtutem ardentius? quis*

à ui-

Digitized by Google

à uitijs acrius reuocare? quis uituperare impro- „
bos aſperius? quis laudare bonos ornatius? quis „
cupiditatem uehementius frangere accuſando po- „
teſt? quis mœrorem leuare mitius conſolando? „
Hiſtoria uerò teſtis temporum, lux ueritatis, uita „
memoriæ, magiſtra uitæ, nuncia uetuſtatis, qua „
uoce alia, niſi oratoris, immortalitati commen- „
datur? Nam ſi qua eſt ars alia, quæ uerborum aut „
faciendorum aut deligendorum ſcientiam profi- „
tentur: aut ſi quiſquam dicitur, niſi orator, for- „
mare orationem, eamq́; uariare & diſtinguere „
quaſi quibuſdam uerborum ſententiarumq́; inſi- „
gnibus: aut ſi uia ulla niſi ab hac una arte tradi- „
tur, aut argumentorum, aut ſententiarum, aut „
denique deſcriptionis atque ordinis: fateamur, „
aut hoc quod hæc ars profiteatur alienum eſſe, aut „
cum aliqua alia arte eſſe commune. Sed ſi in hac „
una eſt ea ratio atque doctrina, non, ſi qui alia- „
rum artium bene locuti ſunt, eo minus id eſt huius „
unius. Sed ut orator de his rebus quæ cæterarum ar „
tium ſunt, ſi modò eas cognorit, optimè poteſt di- „
cere: ſic cæterarum artium homines ornatius illa „
ſua dicunt, ſi quid ab hac arte didicerint. Hac ora- „
tione olim Cicero ſub Antonij perſona iuuentutem
Romanam ad eloquentiam capeſſendam inflamma
bat: hac eadē nos, noſtros quoq; iuuenes hortamur.

Sed

Digitized by Google

Sed de eloquentià plura non dicam, quæ eſt à nobis aliàs ſæpe laudata: ſed tandem quod ſupereſt abſoluam. Hic quæſtio exoritur quædam, an Grammatici muneris ſit, Dialecticen ac Rhetoricen in ſua ſchola docere? Qua in re primùm non referam, quid Fabius Inſtitutionum oratoriarum libro ſecundo, capite primo, ſentiat: ſed quid ego exiſtimem. nec tamẽ ita dicam, aut ab eo diſſentiam omnino. Non eſt dubium, quin ut ipſæ artes inter ſe diſtinctæ finibus & officijs ſunt, ſic diſtincta ſint doctorum officia: ut alij ſint Grãmaticæ, alij duarum ſequentium magiſtri. Nam tria doctorum genera ad perfectam eruditionem requiruntur: unũ, Grammaticorum, id eſt, puri dilucidiq; ſermonis: alterum, acuti & ornati, quod Dialecticorum et Rhetorum eſt: tertiũ, apti, in quo philoſophi & theologi, hoc eſt, rerum magnarum, tam humanarum quàm diuinarum, doctores uerſantur. Itaq; uidendum eſt, an in ciuitate ſit talis ſchola inſtituta, ut quot ſunt artes, tot in ea pariter ſint artium profeſſores & magiſtri. ſi ſunt, tum Grammaticus puerum ad Dialecticum & Rhetorem debet reijcere: exemplo Qu. Scæuolæ, qui quamuis eſſet clariſſimus legum uates, & certiſſimus, quotieſcunq; tamen de iure prædiatorio conſulebatur, ad Furium & Caſellium, quia huic ſcientiæ dediti erant, conſultores reijciebat. quo quidem facto, moderatio-

nem

tem ſuam magis commendabat, quàm autoritatem minuebat: ab ijs negocium aptius explicari poſſe oſtendens, qui quotidiano eius uſu callebant. Sin copia eorum non eſt, nec ita inſtituta habetur ſcho la (quod fieri non ſemper poteſt) ſic Grammaticus tradere eas artes uolentibus debet: quia tres illæ artes, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, communi quodam orationis uinculo continētur, atq; in ſermonis ratione uerſantur: prima quidē (ut primo libro dixi) puri, altera probabilis, tertia ornati: ac proinde uno logices genere & nomine appellatæ. Iam quoniam Grammaticus ſermonis artificium profitetur, non poteſt, nec debet, hoc munus honorarium recuſare. Nam & ueteres illi Grammatici eloquentiæ præcepta tradebant, & declamabant ipſi, & diſcipulos declamantes audiebant: ut Suetonius Tranquillus de M. Antonio Gnipho (quem Cicero & Iulius Cæſar Romæ audiuerunt) in libro de illuſtribus Grammaticis teſtatur. Sed hic modus adhibendus eſt, ut ex illis artibus tātum ſumas & tradas, quantum eſt ſatis: quibus ſanè ſi modum non feceris, ut uerbis Gellianis utar, periculum non mediocre fuerit, ne ut pleriq; alij, in illis Dialecticæ gyris ac mæandris, tanquam apud Sirenæos ſcopulos, conſeneſcas: tantus eſt garriendi & nugandi pruritus. quum alioqui hæ duæ nobiliſsimæ atq; utiliſsimæ artes, ſeſquianno, aut ad ſummum

Digitized by Google

mum biennio commodiſſimè tradi poſſint. Septimo igitur anno fundamēta iacientur probabilis atque ornatæ orationis. In Dialecticis, ut aditus ad Ariſtotelem ipſum pateſiat, epitomen, quam nos ex trib. Perionij de Dialectica lib. abſolutiſſimis collegimus, tradet: aut ſi mauult, ipſum Perionij integrū opus. nihil enim impedio. Nos tamen nihil omiſimus, quod in his primordijs diſcendum eſſe uideretur. Rhetorica præcepta ab elocutione ſunt incohanda: pòſt ad alias partes eſt ueniendum. Igitur primum omnium, quæ à Cicerone de tropis, hoc eſt de modificatis uerbis libro tertiò de Oratore traduntur, erunt intelligenda: atq; unà cum his, quartus liber Cornificij, qui ad Herennium, de elocutione ſcriptus eſt, erit cōiungēdus. hūc primus eiuſdem Cornificij Rhetoricorū ſubſequetur, in quo ſummatim reliquæ Rhetoricæ partes comprehēdūtur: quæ quidem, atq; alia nōnulla breuiſſimè nos cōiunximus in Sūma noſtra de artificio diſſerēdi. Poſthæc, ſi opus erit, octauo anno Cicerōis Topica, et eiuſdē partitiones Oratorias, explicabit apertiſſimè. His etiam duob. elegantiſſimis libellis, aliquid lucis noſtris cōmentariolis afferre conati ſumus. Hoc tēpore harū duarū artium præcepta in elegantib. ſcriptoribus Græcis Latiniſq;, uelut in Platon. ac Cicerone, ſunt demonſtranda: ipſiq; adoleſcentes in declamationibus & diſputationibus exercendi. Tranſacto huius do-

Digitized by Google

ius doctrinæ curriculo, ad liberas lectiones eos, cum ſeria cohortatione dimittet. Sed quoniã non unum eſt genus exercitationum, quibus facultas orationis comparatur, & artium præcepta exprimũtur, de ijs legendus erit Ioachimi Camerarij, uiri eruditiſsimi, copioſus atq; utilis liber, cuius ſuprà mentionem fecimus: in quo omnia genera exercitationum Rhetoricarum explicauit. extãt etiam Aphthonij progymnaſmata, atq; aliorum quorundam: ſed nequaquam cum Camerarij elemẽtis conferenda. Sed hic finem noſtræ Scholæ labor accipiat. Opinor enim me tandem, quod initiò pollicitus ſum, propemodum præſtitiſſe: uiam nimirum expediturum, quæ ad perfecti Grammatici ſcholam perduceret. licet igitur cuiuis, me duce, tanquam Theſeio filo, iter arripere. Quod ſi quidam etiamnum rubi aut ſalebræ feſtinantem remoratæ fuerint, cogitandum eſt, nihil ab homine omni ex parte, omnibusq; numeris perfici abſoluiq; poſſe: id enim ſolius Dei eſt. ipſo tamen uſu in dies ſingulos expeditior ac tritior fiet uia: ſine quo parum in ea aperienda profuerit laboraſſe.

LIBRI TERTII ET VLTIMI C. S. Curionis Scholæ, ſiue de perfecto Grammatico, Finis.

Digitized by Google

CAELII SECVNDI CVRIONIS DE LIBERIS honeſtè pieq́ educandis, Epiſtola, ſiue Libellus.

CAELIVS SECVNDVS Curio, Fuluio Peregrino Morato S. P. D.

FILIOLO te auctum eſſe, ſalua uxore, fœmina honeſtiſsima, ex tuis literis accepi: teq́ iam de eo inſtituendo ſic cogitare, ut pietatis Chriſtianæ fundamenta primùm iacere, mox reliquam educationis ędificationem, atq; ornamenta literarum aſſumere cupias. Idcirco à me petis, ut quo nam pacto pueri uel ab ipſo lacte piè recteq́ educandi & informandi ſint, tibi aliquid conſcribam. Hoc tuum honeſtum & pium uotum non poſſum non ſummopere laudare. Itaq;, quid in eo poſsim experiar: magis tamē quo tuæ morem geram uoluntati, quàm quòd ſperem, non dicam tibi emunctiſsimæ naris uiro, ſed ne mediocriter quidem erudito, me ſatisfacturum. Tu mihi ſacrarum literarum non exiguam ſcientiam tribuis, cum nullius diſciplinę magis rudis ſim (neque enim tantum nobis otij unquam fuit, ut in illius ady-

ta penetrare potuerimus) quàm huius, cuius unius doctos peritosq; eſſe omnes oportebat. Verùm quando ita tibi perſuaſum eſt, malo dum tibi gratificari cupio, deſiderari in me prudentiam: quàm ſi hoc negarem, beneuolentiam. Age ergo, Dei freti ope, ab ipſo ut dicitur lacte, & cunis, hunc noſtrum puellum educare & inſtituere incipiamus, donec eũ ad eam ętatẽ eduxerimus, in qua Deo propitio, ſe ipſe nouerit prudenter gubernare.

Quoniam igitur proprius eſt hominis ſermo, quatenus omnes loquẽdi facultate prędití ſunt, at non omnes bene loquendi: idcirco prima parẽtum cura eſſe debet, ne puer infans, aliquem uocis abſonum ſonum, uitioſam'ue pronũciationem hauriat: id quod ſæpenumero non inſtrumentorum aliquo uitio, ſed nutricum culpa fit: quarũ nõnullæ naturę uitio, aliæ nationis & gentis, nonnullę etiam de induſtria uerba & ſonos corrumpunt, ut ſic alumnis ſuis blandiantur: & balbæ, ut dicitur, cum balbis ſint.

Prima igitur cura ſit, ut ſtatim puer, tanquam mollis cera formetur. cum lacte enim ipſo Chryſippus, ac etiam Plato, puerum formari pręcipiunt. Quocirca initiò illud cauendum eſt, ne malam & corruptam pronunciationem cõdiſcat puſio: id quod non rarò accidit nutricum cauſſa, quarum nonnullæ natura corruptè loquuntur, nonnullę etiam de

indu-

induſtria uerba & ſonos corrumpunt, ut ſic alumnis blandiantur. Has imitantur ipſi, ac cum ipſo penè lacte errorem combibunt: & ſenes facti, obliuiſci nequeunt. Adeo à teneris conſueſcere multum eſt, ut præclarè Vergilius dixit. Mihi igitur præclarè ſenſiſſe Chryſippus & Plato uidentur, qui cum ipſo lacte filiorum inſtitutionem auſpicantur: uolunt què, ut aut mater ipſa lac nato præbeat (quod quidem honeſtę & pię matris eſt munus) aut, ſi quid uehementer obſtet, ut nutrices non modò corpore & mente ſanæ, uerùm etiam moribus bonis prędiitæ, & ſermone minimè impeditæ, deligantur.

Quod de nutricibus dico, de ſeruis etiā & pueris, quibuſcum huic noſtro uerſandū eſt intelligi uolo. Multum enim refert quos domi aſsiduè audiat: cū quibus à teneris annis colloquatur: ut parentes, ut pędagogi loquātur. Quod ſi Gracchi, ſi Lęlię & Mutiæ quondam Romæ bene latinè loquebantur, id propterea factum eſt, quòd non tam in gremio parentū, quàm in ſermone illę Lælij, illi Corneliæ, educati fuerunt. Cum uerò ad ætatem peruenerint, quæ doctrinæ capax fuerit, hoc eſt, ad quintum aut ſextum annum, cuſtodiæ tradantur, ſed maximè fideli & bonæ. Neq; enim decet, ut ætas illa ſine cuſtode libera uagetur: cum etiam delphines paruulos ſemper aliquis grandior comitetur. In

Digitized by Google

his uerò, in quibus opus fuerit, ſine iniuria corrigantur: ne uel nimia indulgentia molleſcant, uel aſperitate animum deſpondeant. Sed in primis cauere oportet, ut ne in ipſa herba (quod dicitur) areſcant, & demittantur: quod fit, cum terrentur. Fiunt enim timidi, pauidi'que per omnem uitam, & ad nullam unquam egregiam functionem idonei. Adhibito igitur cuſtode & magiſtro, non quouis, ſed eo cùm doctiſsimo, tum ſanctiſsimo: qui'que idem ſit bene uiuendi præceptor, atque dicendi, qualem Phœnicem illum Homericum Achillis præceptorem fuiſſe legimus: pietate iam tum, & bonis literis informentur. Tametſi non ſolius magiſtri, ſed multo etiam magis parentum & propinquorum munus proprium eſt, liberos ſuos, in ijs præſertim quę ad religionem ſpectant, pro captu ipſorum erudire: quorum ratio & uia talis eſſe poſſet, qualem nos alio libello ad Filios in Dialogo deſcripſimus. Quoniam uerò Chriſtus reliquit nobis uerbi ſui & ſanctiſsimæ doctrinæ miniſtros & doctores, ducat iam à puero pater filium ad templum, & concioni iubeat interesse: ubi domum reuenerit, aliquid de concione roget. Tunc uerò arrepta occaſione, ad bene beatéq; uiuēdum hortabitur, ut totam ſpem ſuam in Deum reponat, malitq; millies emori, quàm ſemel quicquam committere

quod

quod Deum offendat. Refricabit ea,quę de Chriſtiana religione didicerit. Ad patientiam,ſpem & charitatem inflammabit: monebitq́, ut ſe intus & in cute rimetur, nihil reperturus niſi peccatum, & peccati ſeminarium: ſalutem atq; immortalitatem in Chriſto quærendam,à Chriſto expectandam,qui nobiſcum ſuam iuſtitiam communicauit, nos ſuos cohæredes fecit: nulla antè meritorum noſtrorum, quę nulla prorſus unquam fuere,ratione habita: ſed ingenita id bonitate, quo pluribus nos ſibi uinculis religaret, unde Religio dicta eſt.Quod cum ita ſit,is à nobis ſępe implorandus, eidem gratiæ ſunt de tantis eius in nos meritis agendæ.Itaq; pueros noſtros ſtatim precationi aſſuefacere debemus:pręſertim ut cibum ſumpturi, doctrinæ operam daturi,cubitum ituri,Deum precibus inuocent: à cibo gratias agant,& cum manè cubitu ſurgunt, & cum diurnum doctrinę penſum abſoluerunt. Illud quoq; curandum eſt à parentibus,ut liberi alternis,ex noui fœderis libris aliquem,aut etiam ex ueteris,Prouerbia,ſiue Sententias illas utiliſsimas Solomonis,aut librū Sapientię,aut eum qui Eccleſiaſticus appellatur,prius quàm accumbant,legant ad menſam. Nam ex ea lectione,illa ſequetur utilitas, ut & ipſi qui legent, rectè pronunciare aſſueſcant, & expeditè legant: atque ut non ſolum ipſi, ue-

rum etiam auditores ad pietatem & Dei cultum excitentur. Deinceps quædam à nobis tradentur, quæ quanquam pertinent ad religionē, finemq́ bonorum, tamen id minus apparet: quia magis ad inſtitutionem uitæ communis ſpectare uidentur. Principiò ſummopere cauere parentes debēt, ne inter ſe coram filijs, iurgijs intendant. Sed ſi quid diſceptandum eſt, ſeorſim ſemotis arbitris fiat. Ab ineptis ſcurrilibusq́ uerbis diligenter abſtineant: & ubique ſanctiſsimos ſe, ſed pręcipuè coram filijs præſtent. Maxima, inquit Satyricus, debetur puero reuerentia. Xenocrates Chalcedonius dicebat, pueris aures eſſe muniendas follibus, potius quàm athletis: quòd plus ſit periculi, ne puerorum aures occupentur prauis ſermonibus, quàm athletarum, ne ferientium ictibus pateant. Neq; illud in poſtremis haberi debet, ut modum imponamus cultui, atq; luxui, ne ueſtitu nimio indulgeamus, nec cupedias ad cibum exquiramus. Tenera enim illa ætas citius mala exempla parentū, quàm bona monita ſequitur. dum parentes ſuos ita facere intuentur, nō ſolum ſibi licere idem putant, nec flagitium ducunt, ſed imitari pulcherrimum exiſtimant. Vtinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim delicijs ſoluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos

omnes

omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui iam infans in purpuris repit? Nondum prima uerba exprimit (ut Fabij utar uerbis) & iam coccum intelligit, iam cōchilium poſcit. Antè palatum eorum, quàm os & mentem inſtituimus. In lecticis creſcunt. Si terram attigerint, è manibus utrinq; ſuſtinentium pendent. Gaudemus, ſi quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, riſu & oſculis excipimus. Omne conuiuium obſcœnis uocibus ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur. Fit ex ijs conſuetudo, inde natura. diſcunt hęc miſeri, antequam ſciant uitia eſſe. Itaq; uictus cultusq; corporis ad ualetudinem referantur, & ad uires: non ad pompam, & uoluptatem. Atq; etiam ſi conſiderare uelimus, quæ ſit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus quàm ſit turpe, diffluere luxuria, & delicatè ac molliter uiuere: quamq; honeſtum, parcè, continenter, ſeuerè, ſobriè. Quid quod ne mēte quidem rectè uti poſſumus, multo cibo & potione repleti? Videte (inquit omnis temperantiæ magiſter) ne corda grauentur ueſtra crapula & ebrietate: quod cauere tum omnem ætatem, tum maximè adoleſcentiam decet. Etenim non Aetnei ignes, non Vulcania tellus, non Veſeuus & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut iuueniles medullæ uino plenę, &

uarijs dapibus refertę. Filijs nequaquam adulabimur, aut nimium amorem oſtendemus. Stultũ eſt enim, ita filios amare, ut perdas. Amorem illum impunitas ſequitur, impunitatem contemptus; adeò, ut ne caſtigare quidem poſsis, cum uelis. Neque enim liberos habere, laudi eſt: ſed bene pieq; inſtitutos habere, hoc demum laudi omnibus dandum eſt. Præclarè uerò monet Solomo, in eo libro qui ad liberorum inſtitutionẽ conſcriptus eſt: Qui abſtinet uirga, filium odit ſuum: amat aũt, qui maturè caſtigat. Quamobrem maiore cura pius pater ſtudere debet, erudiendis ad pietatem filiorum animis, quàm alendis corporibus, aut ueſtiendis. Nam ſi tantis totq; laboribus, dulcibus natis uitę huius ſubſidia comparamus: quãto magis animi paſtum & cultũ, his debemus comparare? Neq; enim par eſt, ut pluris fiat corpus, quàm animus: quemadmodum nec ueſtimentum pluris, quàm corpus. Animus enim cœleſtis eſt, corpus cum pecudibus commune habemus. Quanto ergo animus corpore præſtantior eſt, tanto quidem diligentius ei proſpiciendum eſt, ut in quem nihil pereat quod collatũ ſit. At uerò quis ſuauior animo cibus eſſe poteſt, quàm cognitio ueritatis? Viuit namq; animus omni eo uerbo quod manat ex ore Dei. Hęc enim prauitatis cauſa eſt, ueritatis ignoratio: quam ſi quis illato

Matth. 6.

Deut. 8.

Matth. 4.

lato lumine doctrinæ diſcuſſerit, is demum ſciet & quò referenda, & quemadmodum ſibi uita degenda ſit. Sed ubi uera ſapientia ueritasq́ reperietur, niſi apud eum qui dixit: Ego ſum uia, ueritas, & uita: qui uerba æternæ uitę habet, qui Dei eſt ſapientia? Quærebat magnus ille & ſanctus Dauid, quânam ratione fieri poſſet, ut adoleſcens uitam moresq́ componeret, & in uiam rediret? ac ſibi ipſi diuino numine inſtinctus reſpondit: id ita fieri poſſe, ſi inſtituta Domini exequeretur. Huius uerò filius Solomo: Fili mi (inquit) ſi ſapientiam uocabis, ſi prudẽtiam uoce interpellabis tua, ſi eam ut argentum atq; pecuniam quæres, ac ueſtigabis: ita Iouę metum percipies, Deiq́ cognitionem inuenies. Nam Ioua dat ſapientiam: ex eius ore ſcientia fluit, atq; prudentia. Itaque ſi uitam expetimus, hæc eſt uitalis arbor: ſi diuitias, hæc argento auroq́ & gemmis precioſior inuenietur: nec quicquam poſsis expetere, quod cum ea ſit comparãdum. Si gloriam, aut hæc eam præſtat, aut nulla eſt omnino ars per quam eam aſſequamur. Si deniq; oblectatio quæritur animi, requiesq́ curarum, quæ conferri cum eorum ſtudijs poteſt, qui ſemper aliquid inquirunt, quod ſpectet ad bene beateq́ uiuendum? Quare hic mihi arguenda eſt conſuetudo deteſtabilis, quę hodie inter Chriſtianos increbuit. Peregrinationis ergò

Ioan. 14.

Prouerb. 2.

Tob. 8.

Pſal. 19.

q 5 ignotæ

ignotas petunt regiones, dum alius Hieroſolymam, alius Compoſtellam, hic Lauretanam uirginem, ille Romam petit: relictis interim paruulis cum coniuge liberis domi, ſine rectore & duce, aut ſecum nõ ſine magno & uitæ & morum diſcrimine adductis. O impiam parentum pietatem. Exempla cuiuis in promptu ſunt, quàm multa non digna relatu hac de cauſſa cõmittantur. Longè præſtaret domi ſedere, & dulces liberos in doctrina Dei (ita ut pręceptũ eſt) erudire. Deus enim nulli talia præcepit, neq; unquam hanc errandi conſuetudinem uel quæſiuit, uel cõmendauit. Sed contrà neque in deſerto, neq; in penetralibus, neque hic aut illic regnum ſuum eſſe, aut quæri debere, diſertè monuit:

Lucæ 17. uerùm, Ecce (inquit) regnum Dei intra uos

Rom. 10. eſt. Et Paulus: Iuſtitiam, quę ex fide eſt, in ſuo cuiuſq; ore & corde eſſe proclamat: neq; aut ex inferis, aut è cœlo denique ipſo petẽdam. Veriſsimum eſt quod Horatius dixit:

Cœlum, non animũ mutant, qui trans mare currunt.

Nam uagari ut Deum inuenias, quid aliud eſt, quàm à Deo & à fide deficere? Siquidem ille nuſquam præſens nõ eſt. Sed enim tibi præcepit Deus ut filios educares, ut eos pietatem atq; iuſtitiam doceres, ut uxori tuę adeſſes, ut rem domeſticã bene ſanctéq; curares. Quod ſi quis ſuorum, domeſticorum

1. Tim. 5. præſertim, rationem non habet, fidem abnegauit,

gauit,& eſt infideli deterior. Et quis ad hæc ſpiritus diuini uerba non contremiſcit? Vtinam hæc parentes, & præceptores, & quicunque aliorum curam gerunt, ſecum interdum conſiderarent. Valde horrendum fuerit, abnegaſſe fidem, & eſſe quouis infideli peiorem. Quid enim maius, uel gratius Deo parentes, quod ſacrificium ſanctius, quem cultum acceptiorem, liberorum pia inſtitutione, præſtare poſſunt? Maxima uirtutum atque artium eſt, ſanctè & liberaliter liberos educare: neque factu ita facile. Idcirco neceſſe eſt, ut maximopere Deo placeat. Salua fiet mulier per liberorum procreationem (ait Paulus) ſi fidem dilectionemque & ſanctitatem cũ caſtitate retinuerint. Quàm uerò ſeuerè pœnas exigat Deus, contemptę liberorum diſciplinæ, exemplo eſſe poteſt Elius ille ſacerdos, cum filijs ſuis, qui miſerè uitam finierunt: ille, quia nimia indulgentia filios corrupit: ij, quòd patris monita quanquam leuiſsima non audiuerunt. At cum adoleuerint, uidendum omnino eſt, ne aſperitate nimia, ac duritie, illos ad iram prouocemus (quod & Paulus diligenter monet) ne contumaces effecti, aufugiant à nobis, ac uagi palantesque (ut fit) malis artibus illigent ſeſe. Caſtigabimus uerò eos, non ut ſeruos & mancipia, ſed paterna ſeueritate: ita ut uerecundiam potius in eis excitemus, quàm metum. Ephes. 6.

metum. Cuſtos enim uirtutũ omnium, dedecus fugiens, laudẽq; maximè conſequens, uerecundia eſt. Præclara eſt Mitionis apud Terentium in Adelphis ſententia: Pudore & liberalitate liberos retinere, ſatius eſſe credo, quàm metu. Eſſet hic aliquid de puerilibus ludis & iucunditatibus dicẽdum: neq; enim ullus eſt qui ferre perpetuum & ſempiternum laborem poſsit: & arcũ ſi nunquam ceſſes tendere, non ſolum mollis erit, uerùm frangetur quoq;, ſi nimium tendas. De his igitur pauca dicam. Ludi honeſti eſſe debẽt: & tales, ut animum oblectent, & ſimul corpus exerceant. Ad hæc præſtanda, commodiſsimus eſt pilæ ludus, tantopere à Galeno laudatus. In eo enim æqualiter corporis partes exercentur: animus magna uoluptate afficitur: ingeniũ excitatur, & animaduerſio: oculi, caput, manus, pedes, celeriter moueri, & dextrè tamen, aſſueſcunt: uox quoq; ipſa clarior & melior efficitur, dilatatis arterijs. Et ſunt eius ludi multa genera: ita ut nullus ſit locus, aut tempeſtas, in qua non poſsis aliquo genere uti, & pila tamen ludere. Saltu præterea & curſu certare interdum poſſunt: equum inſilire, eiusq; tractationi & equitationi aſſueſcere, quod aliquando uſui eſſe poſsit. Poterunt etiam incautas auiculas reti, laqueis, uiſco fallere, non ſine iucũditate & utilitate. Si quis erit inter liberos qui mu-

ſica

ſica delectetur, nõ erit tam durus pater, quin ei aut teſtudine, aut tibijs ludere, aut uoce ex arte modulari permittat: modò & argumẽtũ & muſicæ modus ſint honeſti, caſti, & religioſi, cuiuſmodi apud ueteres Dorij & Lydij fuiſſe perhibentur. Horũ autem omnium certæ & ſtatæ horæ dieſq; eſſe debent: ne artes ſeriæ, & ſtudia impediantur. Ex ijs quæ dixi, facile intelligitur, nos neq; teſſerarum ludum, neq; chartarum quas uocant, neque tabularum, neque latrũculorum, qui uulgò ſcacorũ dicitur, probare: quem etſi pleriſq; placere uideo, tamen quid in eo ſit iucunditatis, nõ ſentio. Ingeniũ ſua difficultate obtũdit & fatigat ſine utilitate, meliorib. alioqui uacaturum: nos autem delectationem cum corporis aliquo labore quærimus. is ludus, ut & alij ſimiles, ab ocioſis inuẽtus fuit, & ab ocioſis hominib. colitur. Verùm ſciãt iſti tales, ſe temporis in huiuſcemodi ludis conſumpti, rationem reddituros Deo. Neq; enim ad ludos & iocos nati ſumus, ſed ad res utiles & ſerias, & ad Dei beneficia reputanda & prædicanda. Ille uerò longè utilior eſſet ludus, ſi noſtros artificium aliquod honeſtum doceri curaremus, ad quod natura eos trahi uideremus: quemadmodũ Spartanos, dum eorum Reſpub. floreret, & lege ſanxiſſe, & feciſſe legimus: ita & nihil inuita Minerua, id eſt, repugnante natura, tentaremus:

Digitized by Google

mus:& noſtrorum liberorum moribus & uitæ aliquanto melius cõſuleremus. Id autem intelligo, non modò de artibus illis quæ doctrina & literis continẽtur, uerùm etiam de opificum operibus. Neq; enim ego nunc ijs aſſentior, qui artes omnes, quas μηχανικὰς uocant, in ſordidis numerant. Equidẽ pleraſq; ipſarum, nec indecoras, nec illiberales eſſe duco: cuiuſmodi ſunt fabrorum, ſutorum, textorum, phrygionum, pictorum, ſculptorum, agricolarum, & id genus aliorum. Naturam ipſe ſequor, & ueterũ non corruptorum morem: illi nobilium, & diuitum ocioſorum opinionẽ ſequuntur. At non ita fuit apud maiores, & priſcos illos homines, cum ab officina & aratro conſules & reges aſſumebantur, qui prudentia & æquitate, non delicijs & opibus imperarent. Sic Macedonum & Epiri reges, liberos ſuos inſtitui curabant: ſic apud Italos, Ferrarienſium & Vrbinatum Duces inſtituuutur, ut manu ſua quędam opificum opera ipſi norint facere, ac interdum faciant. ac noui ego Nicolaum Zerchintem, uirum in repub. Bernẽſi primarium, ſic artibus multis inſtructũ, ut cũ Hippia Eleo cõferri poſſe uideatur: qui in maxima illa quinquennali celebritate ludorum, cuncta penè audiente Græcia, præter liberalium artium ſcientiam, qua expolitus erat, annulum quem haberet, pallium quo amictus

ctus, ſoccos quibus indutus eſſet, & alia quę dam quę geſtaret, ſe ſua manu confeciſſe teſtatus eſt. Quamobrē tametſi diues ſis, nihilominus honeſtam aliquam artem illos iubebis diſcere. Sic enim ætas illa, alioqui uaga & inconſtans, continebitur: nec tam facile aleæ, ſcortis, luxui, alijsq́ iuuenum peſtibus indulgebit, & ſegniciem atq́ inertiam euitabit. Maximè autem hæc ętas à libidinibus arcenda eſt, exercendaq́ in labore, patientiaq́ & animi & corporis, ut eorum in omni uita uigeat induſtria. Opes ſępenumero fortuna & caſus eripit homini: uelut incendio, furto, bello, naufragio, crimine. Verùm ars, certiſſima poſſeſsio eſt, quę ſemper & ubique te poſsit alere. nam ut eſt in prouerbio, Quęuis regio alit artem. Quare ſi quo caſu ad egeſtatem adigētur, tum conducet maximè artificium quodpiam noſſe. cuius adminiculo uitam honeſtè degere ac tueri poſsint. Et ut nihil horum eueniat, non eſt ſemper aut in literis conſeneſcendum, aut ceſſatione torpendum. Aliquid agendum præterea eſt, ut corpus ualeat, ut animus uegetior fiat. Ignauia (inquit Celſus) corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Denique ob id etiam opus aliquod faciendum eſt, ut uel ex artificio induſtriaq́ noſtra aliquid ſuppetat, quod indigentibus tribuamus, ut Paulus iubet. *Ephes. 4.*

nam

nam & primus ille humani generis parens, quanquam in ſumma omnium rerum co-
Geneſ.2. pia & delicijs eſſet à Deo conſtitutus, tamen præcepto diuino ſtatim laborare, & corpus exercere aſtringebatur. quod præceptum nõ imminutum, ſed auctum peccato fuit. Dei enim ipſius eſt uox illa: Per ſudorem uultus
Geneſ.3. tui ueſcêris pane tuo. Et quod Poeta in Georgicis dixit:

— Pater ipſe, colendi
Haud facilem eſſe uiam uoluit: primusq; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno.

non de agricolis ſolum, ſed etiam de alijs hominum ordinibus intelligẽdum eſt. Quin & omnis boni moris & diſciplinæ magiſter
Matth.13. ipſe Chriſtus, non fruſtra fabri filius, atque
Mar.6. etiam faber appellatus eſt. Credibile eſt, illũ & puerum paternam artem didiciſſe, & deinceps per interualla exercuiſſe. Quem bonus eius diſcipulus Paulus imitatus eſt. nam
Act.18. legitur tabernacula, cum Aquila & Priſcilla, texuiſſe. Quod de pueris dico, idem quoque puellas attingit: quarum artes ſunt, colum fuſumq́; tractare, cibos parare & coquere arte quadam poſſe, ſuere, acu'ue uarias rerum formas imitari, Arachnem illam radio texendoq́; ſuperare. Sed bonæ fœminæ artes præclarè à Lamuele rege deſcriptæ ſunt, in Prouerbiorum Solomonis extremo ſermone.

Puellas

Digitized by Google

Puellas tamen à literis & doctrinis non arcemus: quippe quæ plerunque magis habiles ad eas ſequẽdas, quàm mares, ſint. Quod in Anna, Ducis Ferrarienſium filia principe, clarum eſſe cognouimus. Audiuimus eã ita Latinè orantem, Græcè loquentem, Ciceronis paradoxa explicantem, ad quæſtiones reſpõdentem, ut cum ueterum puellarum quauis, quæ quidem ingenij laude excelluerit, conferri poſſe uideretur. Huius autẽ laudis cauſa & pars maxima eſt Renata (quam honoris cauſſa nomino) eius mater, regia fœmina, & planè diuina. Ad hanc quoq; laudem Olympia tua, Fului, aſpirat. Bellè enim cum Anna principe, cui ingenuarum more puellarũ inſeruit, cumq; æqualib. puellis alijs in eodem campo currit. Et ut illa Ioanne Sinapio, uiro cùm doctiſsimo, tum optimo, præceptore & medico gaudet: ita hæc te patrem, ſedulum magiſtrum habet. Hę igitur duæ (quãquam & alias nominare poſſem, ſi res poſceret) ſa- ; argumento ſunt, non minus aptas ad literarũ cultum percipiẽdum puellas eſſe (quod & Socrates affirmat) quàm pueros. Sed domi doceri debent: in oculis parentum, & propinquorum. nam quo minus ad ſcholas publicas mittantur, ſexus ipſe, uirginaliſq; prohibet pudor. Sed ut hunc de labore locũ concludamus: nemo ſibi fas eſſe ducat, uitam per ſocordiam atque inertiam tranſigere. Si quis

(inquit Paulus)non laborat,is nec edat. Delectum quoque in ſeruis parentes habere debent, nec quoſuis admittere: & admiſſos, honeſtè ut ſe gerant facere. Nam liberi nonnunquam ſimiles illorum euadunt, utpote cum quibus libentiſsimè uerſantur. Quocirca nõ permittent, ut aut liberi, aut ſerui, illiberales flagitioſos'ue ſermones & cantilenas effutiant. Curandum uerò eſt, ut eo ſermone uti aſſueſcant pueri, in quo prudentia, ordo & uerecundia eluceat. Vera autem ſapientia eſt, cum neq; in opinione error, neque in oratione inconſtantia, neque in uita dedecus ullum aut labes apparet. Pueritiam autem, atq; adoleſcentiam maximè decet, coram ſenioribus pauca loqui: audire non ſolum multa, ſed etiam multum. Nam, ut à Solomone ſcriptum eſt, in uerborum multitudine non abeſt uanitas: qui autem ſua cohibet labia, ſapit. Pythagoras ſuos diſcipulos prius tacere docebat, quàm loqui: ut nimirum tacendo loqui diſcerent. Neque ſines natum tuũ quàcunq; lubet uagari: ſed ſcire ſemper curabis, ubi'nam ſit, cum quibus uerſetur, quid agat, ut bonis ſemper utatur atq; honeſtis ſodalibus: non dico opulentis, aut ijs qui maiorum iactant ceras: ſed ijs, qui bonis prędititi ſunt moribus, ac benè & liberaliter inſtituti. Qui enim cũ ſapiẽtibus uerſatur, ut à Solomone dicitur, fit ſapiens: at inſanorum familiaris, malo afficietur.

tur. Itaq; arceantur ab intempeſtiuis iſtis uulgaribusq́; conuiuijs, à quibus (ut ſunt hodie mortalium mores) nemo non deterior diſcedit. Arceantur item à ſaltatione iſta parum decora, quæ fit ad tibias & citharam: à uanis ſpectaculis, cęterisq́; huiuſmodi prauis, parumq́; pudicis congreſsionibus. Scitum eſt Menandri illud, quod & à Paulo eſt apoſtolo celebratū: Bonos corrūpunt mores congreſſus mali. 1. Cor. 15.
Prohibeātur etiā à turpi & obſcœna poetarū aliorum'ue ſcriptorum lectione: uice quorū, hiſtorias ſacras, & quę ueteris fœderis, & quę noui dicuntur: tum Dei uates, Dauidem, Eſaiam, Danielem: tum Solomonis ſententias, & Sapientiam euoluent, ac præſertim D. Pauli epiſtolas, in quibus omnibus elucet ſolida & perfecta ſapientia: idq́; ea lingua, quæ ab eis intelligi poſsit: quando ſacri libri in omnium penè gentium linguas uerſi transfuſiq́; ſunt. Hæc uerò facienda ſunt, ut uel à pueritia ipſa diuinis placitis imbuantur & aſſueſcant, ebibantq́; ſuauiſsimam uiui ac perennis fontis aquam, è quo qui biberit, ſitim, id eſt ardētem rerum humanarum cupiditatem, in perpetuum reſtinxerit. Paulus quidem ille doctor gentium, Timotheum ſuū laudat, quòd à puero ſacris eſſet literis imbutus, quæ eum poſſent in omni ſapientia perfectum reddere, & ad ſalutem quæ ex fiducia eſt Ieſu Chriſti, inſtruere. Neq; tamen uetamus, quin & a-

hos legant cùm ad linguam perpoliendam, tum ad pectus ciuili doctrina informandum, atq; alios etiã de religione libros: modò illi ab his quos ſuprà nominaui, nõ diſſentiant. Deniq; inſpicere tanquam in ſpeculum uitas hominum iubere, atq; ex alijs ſumere exemplum ſibi, apprimè utile & neceſſarium iudico: monereq́; ut in Terentij Adelphis Demea monet ſuũ: hoc facito, hoc fugito, hoc laudi eſt, hoc uitio datur. Quod ſi à parentibus curatum fuerit, quemadmodum curari debet, dulciſsimi fructus ab huiuſmodi plantis colligi in ſenectute poterunt. Filius namque ſapiens, patrem exhilarat: inſipiens uerò filius, matrem mœrore afficit. Profuerit etiam uehementer, noſſe, in quæ uitia filij noſtri magis proni ſint. Nam, ut alius ad alium morbum procliuior eſt: ſic alius ad alia uitia propenſior. & ut rectè Horatius,

— Vitijs nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur. —

Quod adeò uerum eſt, ut ſacra quoq; id teſtentur uolumina. Legimus enim: Omnis ſenſus, omnis cogitatio, omnis motus cordis humani, iam inde à teneris mala ſunt. Ac mirum ſanè eſt, quàm prauas ætas illa animi motiones, tanquam angues enutriat. Alium ſollicitat uenus, libidoq́; mala. alium ambitio, & arrogantia. alius inuidia tabeſcit. alius ira facilè accenditur: nõnulli ſegnitie, ocioq́;

torpent.

torpent. Quanquam ineuntis ætatis mores & uitia tum Ariſtoteles copioſe, in eis libris quos de Rhetorica conſcripſit, eſt execqutus: tum etiam lepidè Horatius his uerſibus,

Reddere qui uoces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.
